ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

TRACTATUS
DE
SCORBUTO
JOANNIS
A BONA
VERONENSIS.

VERONÆ,
Apud Petrum Antonium Berno.

MDCCLXI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

MARCO FOSCARENO EQUITI AC DIVI MARCI PROCURATORI.

JOANNES A BONA
S. P. D.

CUM omnia fere eruditorum opera; ea præſertim, quæ aliquam novitatis ſpeciem præſeferunt, ad principes Viros confugere ſoleant, qui ſe adverſus invidorum

calu-

calumnias tueantur; opuſculum hoc item meum aliquod præſidium ſibi quærendum ſtatuit; quod de Scorbuto agit, peſſimo morbi genere, de quo nemo Italus, quod ego ſciam, niſi forte aliud agens, quaſique perfunctorie conſcripſit. Quamobrem cum nihil opportunius eſſe poſſit, Vir ampliſſime, nihil tutius, quam in tuo ſplendidiſſimo nomine conquieſcere: is enim tu es, qui in florentiſſima Republica, ingenio, opibus, auctoritate, plurimum vales; quemadmodum egregia tua volumina, quæque domi, foriſque præclara geſſiſti, abunde teſtantur; idem ſe tibi ſiſtit, enixeque orat, atque obteſtatur, ut ſe, auctoremque ſuum in tuam fidem, tutelamque

reci-

recipias. Equidem ſi mihi perſuadeam ea me ſcripſiſſe, quæ tali, tantoque Patrono digna ſint, ineptus plane fuerim: veruntamen ea ſunt hujuſmodi, quæ Medicis ſaltem non peritiſſimis, quorum turba eſt, haud inutilia eſſe poſſint; quibus auctor ſum, ut a pernicioſiſſimo morbo ſibi caveant, qui non, ut olim putabatur, in hiſce noſtris regionibus infrequens eſt, ſed paſſim obvius: licet aliena facie obductus erumpat, homineſque etiam ſagaces interdum fallat. Id ſi illis perſuadere potero, quemadmodum ſpero, modo ſecundum hujus operis librum (in tres enim diviſi) attente legant, in quo morbi hujus notæ diligenter indicantur, id totum tibi uni acce-

ptum

ptum referam, qui me diu hæſitantem, & omnia undique metuentem, humaniſſimo tuo Patrocinio confirmaſti, beneque adverſus obtrectatores ſperare juſſiſti. Quod reliquum eſt, Dii te incolumem diu ſervent, præcipuum litterarum columen, magnumque Reipublicæ decus, atque Ornamentum, atque etiam futurum majus, ſi bonorum omnium vota, quæ in rebus humanis plurimum poteſt, fortuna, rata faciet. Vale.

BENI-

BENIGNE LECTURIS JOANNES A BONA S. P. D.

CUm abhinc annis quatuordecim Matronam noſtræ Civitatis nobiliſſimam curandam ſuſcepiſſem, equidem valde ſum miratus claros, & doctos Medicos, quibus illa uſa eſſet, morbum minime cognoviſſe, multo tamen magis miratus ſum, planeque obſtupui nonnullos audiens, qui mihi, ſcorbutum eum morbum eſſe affirmanti, id obiicerent, quaſi male ominarer Italiæ, quam hactenus eo malo vacuam putabant. Jam tum mihi venerat in mentem diſſertationem in lucem edere, qua pluribus meis, aliorumque Medicorum obſervationibus, Scorbutum noſtris quoque terris infenſum eſſe oſtenderem, deque eodem ita verba facerem, ut quantum apud nos invaluerit, conſtare poſſet. Neque id concertandi

ſtudio mihi propoſueram, ſed amore veritatis, & ut prodeſſem quamplurimis. Verum quorumdam precibus coactus, ejuſdem matronæ curationis, quam, Deo favente, feliciter obſolveram, hiſtoriam litteris mandare, cum hoc pacto ſtudia Amicorum hominum incendiſſem, ſcire cupientium, quid ego de morbi adeo famoſi natura ſentirem, neceſſario conſilium mutavi, majuſque opus elaborandum ſuſcepi. Itaque meis, meique Præceptoris toto orbe celeberrimi Alexandri Knips Macoppe multorum annorum obſervationibus maxime innixus, earumque cum Boerhavvii doctrina conſociatione adjutus, eo quo intenderam perveniſſe videri poteram: ſed opus, jam anno hujus ſæculi quinquageſimo concinnatum, ut iidem Amici norunt, ipſis invitis, premendum judicavi multis de cauſis, quarum potiſſima hæc fuit, ut ſi quid in eo eſſet acerbum, tempore matureſceret. Interea Vir Clariſſimus Gherardus Svvietenius eam quoque Aphoriſmorum Boeravvianorum partem, quæ eſt de ſcorbuto, ſuis commentariis illuſtratam in publicum emiſit. Sane quam gaviſus ſum me in eaſdem propemodum cum eo cogitationes incidiſſe, minimeque mihi grave accidit provinciam, quam ego ornandam ſuſcepiſſem, ab alio occupatam videre. Nam intelligebam, quia ille eumdem, quem ego, auctorem ſecutus eſt, nempe Boerhavvium, fieri non poſſe, quin utrique eadem ſentiremus, quæ ad cauſas naturamque morbi pertinerent: quod autem doctrinæ, & indu-

ſtriæ

ſtriæ ſuæ, publicum in hac quoque parte teſtimonium ille prior dediſſet, id ſi mihi minus glorioſum, qui æquo animo vivo tam illuſtri in omnibus concedo: at veritatem unice quærenti per opportunum certe accidiſſe, quod ſic minus mihi verendum fuit, ne ab eo longius aberraverim. Quare id omnes rogatos velim, ut attendant, non quam nova, ſed quam vera, non quam ſubtilia, ſed quam firma ea ſint, quæ hoc volumine a me comprehenſa ſunt. Neque alicui videri potero poſt egregios labores Swietenii inanem operam in hoc collocaſſe, ſi modo is ſciat, multa a me latius eſſe deducta, quæſtioneſque aliquas ad Scorbuti præſertim hiſtoriam attinentes, me ita pertractaſſe, ut confidam, neminem futurum, qui poſthac in iiſdem hæreat. Primoque cogitaveram, libro titulum facere *de Italorum Scorbuto*, quod in quibuſdam meis opuſculis indicaveram: ſed poſtea cognovi, id non undequaque ei convenire, quod revera integram morbi Hiſtoriam complectatur. Profiteor tamen primum meum propoſitum in eo ſcribendo fuiſſe, noſtros homines admonendi, ne ſe ea opinione decipi patiantur, quæ fert, ſub Septentrione tantum eum morbum graſſari, Italiæ adeo, cæteriſque regionibus, quæ ſunt ad meridiem, parcere conſueviſſe. In quam opinionem plures, qui veniſſent, medicos novi, doluique id conſilium ſuis ægris eos afferre non potuiſſe, quod alii, certiori de morbo coniectura ducti, poſtea attulerunt. Itaque anniſus errorem tam perni-

cioſum ab illorum animis depellere, non ut præ cæteris ſapere videar, ſed ut ægrotantium ſaluti hac quoque parte proſpicerem. Hoc ſi fuero conſequutus, me uberem laborum meorum fructum cepiſſe judicabo.

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

Enumeratio Symptomatum Scorbuti.

SCorbutus cum grave, & horribile morbi genus, tum varium, & multiplex eſt, imprimiſque difficile ad perſequendum litteris. De quo tamen dicturus ego, utar VVilliſii conſilio: (a) *Cum nec unica definitione, aut vix ſingulari deſcriptione comprehendi poſſit, ex re fore videri imprimis, cuncta hujus morbi phænomena congerere, ſive accidentium præcipue notabilium hiſtoriam prætexere.* Itaque iſtius quamdam delineationem, & veluti imaginem exponam, ipſiuſque veſtigiis inſiſtam, quæ corpori a capite ad calcem imprimit, orſus ab iis, quæ toti corpori communia ſunt. In cute crebræ maculæ fiunt rubræ, vel flavæ, vel virides, vel lividæ, vel

alius

(a) *Tract. 1. de Scorb. cap. 1.*

alius coloris, quæ modo exiguæ ſunt, modo majores, modo attolluntur in quaſdam bullulas repletas atro, & ſicco ſanguine. Eamdemque cutem aliquando regius morbus, & ſpirandi difficultas fędat luteo, vel nigro colore, ac tum fere Hydrops accedit, favique totum corpus occupant. Ex maculis vero, quas dixi, aliæ cito deſinunt, ſpatio vero interpoſito, revertuntur, & quamdam habent quaſi periodum; aliæ diutius durant, ex quibus interdum puſtulæ, acri humore turgentes, deinde arida, & nigra ulcera naſcuntur. Sed puſtulæ etiam per ſe fiunt, vel humidæ, quarum vertex tenui, & acri humore, baſis ſanguine repletur; qui, ubi illæ rumpuntur, mixtus cum humore illo exit, vel ſicciores cruſta, & quibuſdam ſquamis obductæ, vel iis ſimiles, quæ ab urticæ puncturis concitantur. Nonnumquam illud quoque genus puſtularum oritur, in quo eæ ſupra magnitudinem dolentes veſpere ſimul cum febre accedunt, & maxime noctu moleſtæ ſunt, ideo ἐπινυκτίδες à Græcis nominatæ. Omnes autem has puſtulas prurigo fere antecedit. Interdum tamen prurigo intolerabilis eſt, neque ideo puſtulæ ſequuntur, ſed cum æger prurientem partem unguibus crebro ſcabere cogatur, ex hoc fit rubor, deinde papulæ ſiccæ, vel purulentæ: nonnumquam ſpecies impetiginis quædam, quæ ſponte etiam invadit. Scabies quoque frequens eſt: interdum, ſed rarius apud nos, cutis finditur, aſpritudinemque habet, & ſquamas quaſdam remittit ſic, ut ad eum morbum accedat, quem Græci ἐλεφαντίασιν vocant. Sępe etiam Eryſipelas oritur, qui fere per varias partes vagatur, ſed interdum uno loco pertinaciter hæret, lividuſque, durus, & quaſi ſcirrhoſus fit. Præterea tumores variæ magnitudinis quacumque parte conſurgunt alii cum dolore, alii

ſine

ſine eo, alii cito abeuntes, & denuo redeuntes: alii permanentes, alii molles, & œdematoſi, alii duri, & ſcirrhoſi, qui ſi in inguine, vel in ſcroto ſunt, exigua alia tubercula exigunt. Inter hos mirum tumoris genus obſervatum eſt, ovi gallinacei magnitudinem non excedentis, qui e cute cum ſpiritu, & ſibilo repente exierit. Abſceſſus vero, & mala ulcera quam frequentia ſint per hunc morbum, nemo ignorat, gangręnaque ipſa facile ſupervenit. Aliquando ſine ullo ulcere, ſine ulla nigritie cutis aliqua parte emoritur, & quæ ſub ea ſunt ſphacello corripiuntur. Interdum e viſceribus ſanguis profluit, interdum e cute exit, non apparente illius origine. Sudor quoque vel ſeviente hyeme, oritur fœtens, glutinoſus, ex toto corpore profuſus, quo morbus in nonnullis levatur, in pluribus, atrophia accedente, intenditur. Oſſa vero ita crepitant, ac ſi ſuis ſedibus moverentur: eaque in quibuſdam tenera ſunt, & ſæpe ſua quaſi ſponte franguntur, maxime os humeris, & femoris. Interdum callus jam olim fracturæ ſuperinductus reſolvitur, atque oſſis partes rurſus ab invicem recedunt. In peſtilenti ſcorbuto etiam nigritie, & carie tentari ſolent. Tum vero frigus & calor viciſſim corpus percurrunt. Spontanea quoque laſſitudo, membrorum gravitas, & dolor, quaſi ex contuſione, totiuſque corporis torpor moleſta ſunt: tum etiam contracturæ, ſpaſmi, convulſiones, jectigationes, tremores, nervique adeo facile commoventur, ut ex ſtrepitu, vel ſono, quamvis levi, corpus concutiatur, atque intremat. Dolor nunc has, nunc illas partes invadit, qui modo acutus, modo obtuſus, modo rodens eſt, modo lancinans, modo ὀστοκόπος. Idemque alias habet varietates, atque in aliis cum frigore, in aliis cum calore fit, in aliis cum frigoris, & caloris

vici-

viciſſitudine. Quibuſdam caro convelli, & laniari videtur. Verum de dolore prout varias partes afficit, quædam adiiciam, cum de ſingulis loquar. Aquæ quoque intercutem ea ſpecies, quæ ἀνασάρκα appellatur, occupat: atque tabes ea, quam ἀτροφίαν nominant, corpus conſumit. Præter hæc comitialis morbus, & nervorum reſolutio, modo per omnia membra, modo in parte, gravi metu terrent. Quæ ut interdum ſubito ſine ratione veniunt, ſic interdum ſine alio periculo repente ſolvuntur. Quod de his dictum, etiam de gravi, & continenti ſomno, mentis alienatione, apoplexia intelligendum eſt: de quibus poſtea. Sæpe etiam anima deficit, obſervatumque eſt, nonnullos, cum vellent e lecto ſurgere, quamvis ſatis firmo, ut videbantur, corpore ſubito interiiſſe. Hæc mala cum totum corpus infeſtent, quamvis pleraque in capite fiunt, huc referre volui. Sed frequentiſſimæ in hac valetudine febres ſunt, quæ quia rationem habent diſſimilem ab aliis febrium generibus, ſcorbuticæ proprie nominantur. Ex his enim cum aliæ tertianæ, aliæ quartanæ, aliæ quotidianæ, aliæ continuæ, aliæ intermittentes, aliæ acutæ, aliæ lentæ ſint: natura tamen ab illis diſtant, & quædam ſibi propria ſigna conſervant. Nonnullæ etiam febres, peſtilentibus ſimiles, in ſcorbuticos incidunt, quarum hoc eſt ingenium, ut tumores nigros, & adurentes producant in inguine, in collo, in aliis, atque in aliis partibus: item grangrænam, & ſphacellum. Accedunt his ingens ſitis, vehemens vomitus, gravis ſpiritus, animæ defectio, pulſuum arteriarum æqua ſemper intentio, atque alia hujuſmodi. Nunc ſingularium partium mala exſequar. Vehemens dolor interdum totum caput, interdum ejus partem potiſſimum ſiniſtram, interdum cum diſtentione quadam occipi-

cipitium occupat: iſque modo vagus eſt, modo fixus, atque ad inſtar clavi inhærens, eique ſimilis, qui hyſtericas, atque hypocondriacos excruciare ſolet: & modo intermittit, modo continuus, ſed noctu fere gravior eſt. Semper continens ſomnus, aut pertinax vigilia, aut mentis alienatio fit, vel quædam apoplexiæ acceſſio. Raro, ſed aliquando tamen ſcorbuticis mentis acies retunditur, memoria imminuitur, & aliqui hanc ex toto amittunt; iidemque fere timidi, iracundi, & ſuſpicioſi ſunt, & omnibus animi affectibus ita vehementer perturbantur, ut imperitum vulgus de faſcinatione neſcio qua ſuſurret. Vertigo quoque, & brevis lippitudo fit, & in palpebris prurigo periodica, cum copioſa, & periodica pariter lachrymarum effuſione. Quidam triduum, aut etiam plures dies videndi poteſtatem amittunt: nonnulliſque, ſub palpebris caro velut excreſcit. Aures vero intra ſe ipſæ ſonant, dolorque in iis eſt, qui ad gingivas, & totum os pervenit. Frequentiaque ſunt ſternutamenta. Dentes nunc hi, nunc illi dolent, moventur, & repente rurſus firmantur, nonnullis tamen omnes decidunt. Interdum evenit, ut eos ægri ſibi excreviſſe, & molles factos putent. Inflammatio quoque in iis, deinde flavedo, poſtea nigrities, noviſſime caries fit, corruptique pereunt: nonnumquam in tophoſam ſubſtantiam mutantur. Præter dentes, totum os dolet, & maxime gingivæ, eęque tam graviter, ut ejulatus exprimant, quo acri dolore, ſed in anguſtum locum contracto, lingua quoque afficitur: idemque dolor maxillas corripit, quem vel copioſa ſaliva tollit, vel ſequitur animæ defectio: eędemque maxillæ, qua altera alteri committitur, contrahi ſolet ſic, ut inferior moveri non poſſit. At palati mem-

brana, dura, aſperaque fit, atque uri videtur. Jam cum palato lingua, totumque os, modo cum dolore, modo ſine illo, puſtulis obſidetur, quibus interdum humor ſubeſt. Ex his, vel etiam per ſe, non raro ulcera parva fiunt, quæ antiqui ἄφθας nominarunt, aut etiam majora, præcipueque in lingua. Sed non alia pejora iis, quæ in gingivis oriuntur. Gingivæ enim non modo pruriunt, inflammantur, laxæ fiunt, a dentibus recedunt, marceſcunt, exeduntur, & aut leviter preſſæ, aut etiam ſponte cruorem emittunt: ſed ita intumeſcunt, ut cibus vix mandi poſſit, ac tubercula exigunt παρουλίδας Græcis dicta. Hæc ſi non prompte cedunt, in ſuppurationem vertuntur, ex hac ſerpentia ulcera fiunt, vel caro excreſcit ἐπουλὶς appellata, eaque aliquando durior, quæ cartilaginem refert, totumque os vaſtitate implet. Gangræna quoque facile oris ulcera invadit, ea, quam aquatilem cancrum quidam malunt nominare, quæ interdum etiam per ſe hoc modo fit. In aliqua oris parte pallidum quoddam quaſi punctum, circaque id rubor oritur. Primumque dolor modicus eſt, major calor: deinde augetur dolor, ambituſque puncti illius magis rubet. Tum id alte exeditur, exciditque, quod in eo pallidum eſt, utique ſi leve malum eſt. Si gravius eſt, ulcus per totum os in orbem procedit, malique odoris ſaliva, ipſeque ſpiritus eſt. Id in junioribus evenit, quorum corpora molliora ſunt, ac niſi promptum auxilium eſt, ulcus omnia conſumit. Non minori cum periculo labra hoc malo tentantur. Nam eroſo epithelio, quod mollem eorum ſubſtantiam obtegit, nerveę papillæ enormiter excreſcunt, & in fungoſum, peſſimumque cancrum degenerant. Illa notiſſima ſunt,

ſunt, quamquam nullum ulcus in ipſo ſit, os tamen, & ſpiritum fœtere, etiam ſalivam ipſam, eamque in aliis ſalſam, in aliis acidam excerni: ſanguinem exire cum vitæ diſcrimine ex auribus, ex oculis, ex naribus, ex ore: genas collabi, & perire faciei decorem. Interdum etiam lingua videtur farina conſpergi, maxime poſt cibum, & ſi is pinguis fuit, eo magis: ex quo caſu fere ſermo impeditur. Sub eadem lingua tumor quidam gignitur, quem Græci Βατραχόν dixerunt, & in raninis venis tumor, & varices. Colli vero poſterior quidem pars diſtentionibus quibuſdam ſubinde concutitur: in anteriori vero, lividi, & urentes tumores naſcuntur, qui etiam linguæ reſolutionem afferant. Nonnumquam faucibus uſque ad præcordia infixus palus, eoque ipſæ excoriari videntur, ex quo fit, ut quidam cibum vorare non prius poſſint, quam, ſublimi aliquo adminiculo manibus arrepto, ſuſpenſum corpus exagitaverint: Alii vino, aut cereviſia epota, capiendi cibi facilitatem moliti ſunt. In Thorace autem interdum acutus dolor conſurgit, qui decipere Pleuritidis ſpecie poteſt. Externarum etiam ipſius partium dolor frequens eſt, qui membranas muſculorum, coſtarum, & ſterni infeſtat, interdum muſculos ipſos tenet, & rigidos facit, ac tum intolerabile pondus incumbere pectori videtur. Hunc ejus caſum brachiorum rigor, & torpor, poſtremo reſolutio ſequitur. Imæ coſtæ identidem, tamquam injecto vinculo, conſtringuntur. At ſpiritus modo cum inflatione præcordiorum, modo ſine illa difficulter trahitur, quod incommodum etiam ex corporis, animive ſolo motu, ipſaque potione intenditur, & ſæpe incerto ordine repetit, noctuque fere magis urget: eidemque æger non raro occurrit, cor-

pus, prout melius cedit, vel erigendo, vel reſupinando, vel inclinando. Difficultati ſpirandi interdum frigus in pectore ſuccedit, ad cervicem, caput, brachiaque ſeſe diffundens, vel vertigo, vel animæ levis defectio, aut etiam gravior, mortem repente arceſſens. Hydrops quoque pectoris ut alias per ſe oritur, difficultatiſque ſpirandi cauſa, ſic alias ejus effectus eſt. Ubi tuſſis eſt ſine ſtertore, ſine labore fere ſicca eſt: nonnumquam tamen humida fit, & vel craſſam pituitam extundit, vel ſalſum, & tenue ſputum, interdum etiam ſanguinem. Tum fere phtiſis ſequitur. In mulieribus vero mammæ intumeſcunt, & duræ fiunt, papillæque cum dolore eriguntur, ex quibus, graviori etiamnum dolore antecedente, tenuis humor effluit. Cor ipſum vitæ fons non raro jamjam e pectore exiliturum videtur, adeo vehementer pulſat: & modo aqua frigida, modo calida mergi, modo telis confodi. Hæc ſymptomata, aliaque plura, de quibus mox dicam, converſionem quamdam habent ſic, ut modo tertio, modo quarto, modo quinto, aut ſexto, vel ſeptimo quoque die redeant, modo etiam tardius. Neque minoribus malis imus venter afficitur, in quo ſcorbuti ſedem poſitam eſſe ideo nonnulli crediderunt, quod is hoc morbo vehementer torqueri ſoleat. Sæpe igitur, ſine manifeſta cauſa, vomendi conatus, & vomitus fit cum gravi membrorum convulſione; cibi tamen cupiditas eſt, quę interdum etiam mirum in modum creſcit, minimeque ſtomachus infirmus eſt. Nonnumquam tamen vomitus conjunctus eſt cum præcordiorum murmure, ſtomachi dolore, & angore, cibique faſtidio, quod interdum quoque per ſe moleſtum eſt. Sed inprimis ſcorbuticis cibum modo faſtidirę, modo cupere familiare

liare eſt: tum etiam pertinaci ſingultu concuti. Jam ſimul cum vomitu interdum incidit alvi fluxus in modum choleræ. Diuturna quoque dejectio moleſta eſt, & quæ deſcendunt, modo liquida; modo aliquantulum coacta ſunt, variique coloris. Contra interdum alvus nimis ſuppreſſa eſt. Præter hæc vexare ſolent tormina, teneſmus, ſanguinis per alvum, aut hæmorrhoidas copioſa effuſio: dyſuria, ſtranguria, in fæminis nimia purgatio per uterum, ex qua ſæpe oritur albus fluor, idemque alias erumpit, naturali purgatione ſubſiſtente. In viſceribus obſtructiones, & magni dolores fiunt, & abſceſſus, & putredo. Iidemque dolores peritonæum ita torquent, & in diverſas partes diſtrahunt, ut diſrumpi videatur. Quin etiam in ſpeciem colicorum ſtomachum, & inteſtina adoriuntur. Tum venter vehementer intenditur; & velut Hydrops conſurgit is, qui τυμπανίτης, vel etiam is, qui ἀσκίτης nominatur: uterque vero ut ſimul cum dolore ſolvitur, ita cum eodem ſæpe revertitur. Quamquam etiam ſine his doloribus Hydrops oritur, iſque fere permanens, & plerumque mortiferus. Alius quoque ventris dolor, ſcorbuto proprius, idemque convulſivus, & vagus eſt. A ſpina, qua illi meſenterium jungitur, lumbiſque fere oritur, & anterius ad umbilicum procedit, quam introrſum trahit, modo autem viſcera, quæ in ventre ſunt, afficit, & vehementer convellit, modo ad artus tranſit, & ab his iterum fertur in priorem ſedem, huncque habet quaſi ordinem. Coles autem contrahitur, & in ventrem pene occultatur, ac tantum per vices prodit. In ſcroto intertrigo, in præputio rubræ maculæ, in glande ulcera fiunt, iis ſimilia, quæ venereus morbus gignit, eaque etiam

clyto-

clytoridis alas, & vaginam in fæminis obſident, atque in eadem vagina, & in utero quoque ſcirrhi, & carcinomata innaſcuntur. Aliquando tota ſpina dolet: & dolor interdum, a ſcapulis incipiens, ad lumbos deſcendit, ibique fixus morbum raprępentat, qui græce λόρδωσις appellatur: ægerque magnopere conflictatur, & lumbi fere intumeſcunt, & algent, quaſi ex aqua frigida ſuperinfuſa. Quod ſi tumor non fit, calor ſentitur, & dolor ad umbilicum, pubemque pervenit, & quaſi arenoſa urina fertur, atque ita rubra, ut cruenta videatur. Itaque minus peritos decipit, qui renibus calculum ineſſe judicant. Reſtant extremæ partes corporis, quæ articulis inter ſe conferuntur. Quas ingens, ſed vagus, ut plurimum, dolor maxime infeſtat; iſque plerumque ei ſimilis, quem Artritis, aut Rheumatiſmus movet; in genubus vero, & ſuris ἀστοκόπος eſt, idemque frequentiſſimus. Dolorem, quaſi ex labore, fatigatio ſequitur, ac torpor: humerique, & brachia interdum non modo non attolli poſſunt, ſed plane deeſſe videntur: genuaque, & crura neque ad ingreſſum, neque ad corpus ſuſtentandum ſatis valent. Dolor etiam ſine tumore, ſine rubore in manuum digitis ad ungium angulos urget, digitique curvi fiunt. Ex humeris ſenſus, quaſi frigidiſſimę aurę, ſubinde aſcendit ad cervicem, & caput. Præter hæc, poplites rigidi fiunt, indureſcunt, eorumque muſculi contrahuntur, calceſque ſurſum, plantæ retrorſum reducuntur, ſic ut pedes extendi non poſſint, neque ingreſſu terram bene contingant. Maculæ vero, & ulcera, tumores, & eryſipelata, de quibus ſupra dixi, quamquam ut propoſui etiam alias partes, præcipue tamen crura occupant, ibique gangręna eis facillime accedit. Interdum in extremis

quo-

quoque manuum, pedumque digitis tumores, & nigra ac gangrænoſa ulcera naſcuntur, ungueſque à caruncula recedunt, & decidunt. Fere autem fœmora, vel unum tantum ex his, eaque vel ſola, vel ſimul cum cruribus tumida ſunt, tumorque modo imminuitur, modo rurſus augetur, increſcitque ultra quam aliquis crederet, & niſi ſuccurritur, ſcirrhoſus fit: deinde cancer, vel aliud peſſimum ulcus occupat. Aliis vero crura ita gracilia fiunt, ut ſola ſupereſſe oſſa videantur, neque tolerare injectas veſtes poſſint.

CAPUT SECUNDUM.

De Scorbuti diagnoſi generali.

SED cum tam multa, tamque varia mala producere ſcorbutus ſoleat, hæc non omnia in eodem ægro fieri manifeſtius eſt, quam ut dici oporteat. Igitur alia alium excruciant. Quæcumque tamen expoſui, aut ipſe vidi, aut ſummorum Virorum, qui ſe vidiſſe, ſcripſerunt, teſtimonio fretus expoſui. Ac vereor ne quædam omiſiſſe videar. Sed ſcire licet, me ea tantum collexiſſe, quæ frequentius incidunt, majorique conſideratione digna ſunt. Nam omnia notare in tanta hujus morbi extenſione quis poſſit? Præſertim cum Auctor probatiſſimus Sennertus (a) moneat, *nullum fere morbum eſſe, ſub quo non latere*

(a) *lib.* 3. *prax.* 5. *Sect.* 2. *cap.* 2.

latere, aut cui non aſſociari Scorbutus poſſit. Quid, quod egregii pariter Auctores prodiderunt, & nuper Gherardus Svvietenius, (b) vir & arte, & facundia inſignis confirmavit, *in binis ægris, hoc morbo afflictis, raro, vel numquam eadem ſymptomata obſervari*? Ex quo etiam intelligitur ſumma difficultas diſcernendi morbum iſtum ab aliis valetudinum generibus. Quædam tamen ſigna ſunt, quæ ejus magis propria reputantur. Ea ſunt gingivarum vitium, fere cum oris fœtore, cutis maculæ, dolores, velut ex contuſione in artubus inferioribus, crurumque vacillatio. Quorum aliquod, ubi ſine evidenti cauſa fit, & diutius perſiſtit, de ſcorbuto ſuſpicandum eſt: ubi plura ex his, vel omnia juncta ſunt, certiorem notam præbent. Sed præcipue gingivarum vitium a peritioribus medicis pro certo indicio habetur. Ergo prompta cognitio eſt, ubi hoc, vel alia memorata ſigna apparent. Sed Eugalenus jampridem monuit, interdum illa non prius detegi, quam morbus penitus inſederit: neque periclitandum eſt medico, ne is curari non poſſit, cum per illa inditia fuerit exploratus. Quin etiam illud ſciendum eſt, ſine his ſignis quoſdam eo conſumptos eſſe. Propterea quædam alia conſideranda ſunt, quæ protinus inter initia obſcurum, & doloſum hunc morbum poſſint revelare. Ac magnus Boerhaavius illa incipientis mali ſymptomata propoſuit (c) *pigritia inſolita, torpor, ſedendi, & decumbendi amor, laſſitudo ſpontanea toto torpore, muſculorum omnium*

dolor

(b) *T.* 4. *comm. in Boerh.* §. 1149.
(c) *Oper. omn.* §. 1151.

dolor quaſi a nimia fatigatione, maxime in cruribus, lumbiſque, ambulandi imprimiſque per acclive, vel declive ſumma difficultas, mane a ſomno evigilanti ſenſus omnium artuum, & muſculorum, quaſi fatigatorum, & contuſorum. Verum hęc de ſcorbuto ſuſpicionem movere poſſunt, afferre medico certitudinem non poſsunt; neque ſemper, inter initia, hujuſmodi ſigna apparent. Sive igitur hæc omnia contingant, ſive alterius morbi ſpecie, decipere hæc valetudo tentet, cognoſci poterit, ac, velut e latebris, erui, ſi ea alio longo morbo ſupervenit, ſi neſcio quam habeat ſymptomatum contrarietatem (a) ſic, ut illa inter ſe non conveniant, ſi ægrum ex parentibus, ſcorbuto affectis, ortum eſse, aut maritimas oras, aut humilia, & paluſtria loca diutius incoluiſse, notum eſt, aut longum iter mari feciſse, aut frequentius in cibo erraſse duro, vel ſalſo, vel pingui, vel acido, vel acerbo, vel craſso &c. Si is etiam diuturna triſtitia contabuit; denique ſi aliqua, vel plures cauſæ concurrerint ex iis, quæ hunc morbum gignere conſueverunt. Id ſi fuit, & præterea ſymptomata, quæ initio prodeunt, aliud morbi genus non manifeſtant, ſcorbutum ſubeſse putandum eſt. Ac ſi eo alias quoque æger laboravit, vel habuit leviora aliqua ejus indicia, quamquam ſanari viſus eſt, magiſque ſi antiſcorbuticis juvatur, certius judicium eſt: certiſſimum vero, ubi pulſuum arteriarum, & urinæ teſtimonium accedat, in quo magna vis eſt ad hoc morbi genus patefaciendum. Ac pulſus quidem in hac valetudine parvi, debileſque ſunt, atque inæquales, & fere quales

(a) *Eugalen. de Scorbut.*

les incipiente febris acceſſione, ut non ſine ratione dixerit Boerhaavius, (*b*) *Scorbutum febrem continuam eſse, etſi leviorem, & ſcorbuticis pulſum ſemper febrilem eſse*. Sæpe etiam ita imbecilli fiunt, ut mors in propinquo videatur, multique decepti ſunt. In qua re a ſeptentrionalibus Medicis accuſari ſolemus, *qui admiraturum Italum Medicum putant, quomodo æger cum tali pulſu vivere poſſet*. Quaſi nemo ſcorbuticos in Italia viderit, aut aliarum gentium Medici tales pulſus non admirentur, imo ab iiſdem non decipiantur: cum Riverius, homo Monſpilienſis, idemque Medicus peritiſſimus, ſcorbuticum quemdam a febre prorſus reſtitutum viderit, quem cito moriturum pridie pronunciaverat. Adeo imbecilles, & inordinatos pulſus in eo repererat. ( ) Sed ad rem. Illud qnoque pulſus interdum peculiare habent, quod in animæ defectionibus, quæ ſæpe per hunc morbum contingunt, ipſi non deficiant, ſed potius tum ante, tum poſt illas aliquanto pleniores, & validiores ſubeant. Cavendum tamen, ſi nonnumquam duritiem aliquam præſeferant, ne protinus adeſse inflammationem credamus. Urina vero ſcorbutum indicat craſsa, & alba: quod ſi tenuis eſt, ſed æger eam antea craſsam reddidit, vel adhibitis anti-ſcorbuticis craſsa ferri cœpit, eamdem notam habere ab Eugaleno ſcriptum eſt. Eumdemque morbum teſtatur, ſi ſine febre rubra eſt, magiſque ſi habet innatantem veluti pituitam, vel ſuperſidentem quamdam pelliculam, aut leve & album, idque copioſum, ſedimentum, vel rubrum, prout in febribus,

(b) *Tom. 6. Prælect. Acad. §. 1002.*
(c) *Lib. 12. Prax. Med. cap. 6. d. ſcorb.*

bribus, quæ intermittunt, eſse ſolet, vel factum tamquam ex craſſiori farina: præcipue vero ſi interdum quaſi arenulas, aut minutiſſimos calculos trahit; aut quaſdam miculas, quæ matulæ undique adhæreant. Neque ignorari oportet, albam quidem, craſsamque urinam, magis incipientis eſse, rubram vero, increſcentis morbi: quando etiam nigra nonnumquam excernitur. Atque in ipſa urinæ varietate aliud iſtius morbi ſignum poſitum eſt. Ergo ſi modo craſsa, modo liquida eſt, modo alba, modo rubra, modo pura, modo cum ſedimento, utique ſi hujus varietatis nulla evidens cauſa apparet, ſi inter hæc corpus languet, ejuſque habitus mutatur, ſi ſubinde febricula incurſat, neque quidquam adeſt, quod alterius generis morbum oſtendat, maximeque ſi pulſus parvi, inæqualeſque ſunt, ſcorbutum indicari Eugalenus, aliique recte docent. Animadvertendum eſt etiam in hoc morbo urinam excretam eſſe nonnumquam lacti ſimilem, in eaque quaſi pus ſubſediſse, non raro puram, & protinus turbatam eſse, interdum turbidam, & ſubſidentibus quibuſdam tamquam ex contrito latere perſpicuam extitiſse. Hujuſmodi urinæ, ſi quando exeunt, non tam ipſæ hanc valetudinem denuntiant, quam earum varietas. Ut enim alia valetudinum genera aliam urinam habent fere ſibi propriam: nullus certe, præter ſcorbutum, morbus tot, & tam faciles, tamque ſubitas urinæ mutationes exhibet. Quare diſerte Joannes Michaelis: *Urina varia hujus morbi infallibilis habetur nota*. Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, ſi quis attenderit, cognoſcere etiam inter initia morbum poterit, quamvis ille pathognomonica ſigna non præſeferat. Neque aliud, opinor, ſignificare VVilliſius voluit, cum dixit, id ſcorbuti ef-

fectum eſse, ſi quando malum oritur, quod ad aliud morbi genus non facile referri poſſit, credo, ſi aliqua ſimul ex propoſitis ſignis appareant. Nec enim protinus ſcorbutus eſt, quicumque paulo obſcurior morbus contingit. Ac jure quidem Sydhenhamius, Lindeſtolpius, aliique eos reprehendunt, qui cum aliquem morbum minus cognoſcunt, ſcorbuti nomen in patrocinium ignorantiæ habent. Neque tamen rarus adeo is morbus eſt, ut ipſi quidem Sydenhamio videtur. De qua re alias dicam. Itaque perito, & prudenti medico, in obſcuro morbo, ſemper de ſcorbuto timendum eſt. Qua vero diligentia uti debeat, ut certior de eo fiat, intelligere ex ſuperioribus poteſt. Sed quia, ut dixi, incipientis morbi cognitio, ut ſummopere neceſsaria, ſic prope difficillima eſt: me non inanem operam collocaturum in hac re puto, ſi propria præcipuorum quorumdam ſymptomatum ſigna paulo curioſius exponam. Interdum enim hominem, in quo vix ulla de ſcorbuto ſuſpicio eſt, aliquod malum invadit, cujus ab eo morbo latens origo eſt: ſed quia idem ſæpe per ſe quoque oriri ſolet, nihil minus medicus, quam ſcorbutum cogitat. Quod ſi mali illius anomaliam, & neſcio quam peculiarem habitum conſideraret, etiam cognoſceret differre illud ab aliis ſimilibus malis. Quæ quidem animadverſio, cum ſignis ſupra poſitis collata, dici non poteſt medenti quantam lucem ſuffundat, non ſolum inter initia adverſæ valetudinis, ſed etiam increſcente vitio, & gravius inſidente. Sane mihi contigit ſæpe numero, cum quamdam anomaliam in phænomenis obſervaſsem, ipſa hac arte in cognitionem iſtius morbi pervenire. Itaque ſigna proponam quorumdam ſymptomatum, ut ſpecimen habeatur, cujus indicio in

cæte-

cæteris quoque aliquis uti poſſit. Scorbuticæ febres quam variæ ſint, ſupra dixi. Ab aliis autem febrium generibus eo diſtant, quod fere inordinatæ ſint, modo vel tempore, vel ſpatio, vel gravitate acceſſionum. Nam in eodem ægro febris modo cum frigore, modo cum horrore, modo ſine his incipit, & modo veſpere, modo matutinis temporibus, modo noctu, modo per diem intenditur: atque interdum paucas horas, interdum unum, aut alterum diem durat, interdum penitus ſolvitur, interdum cum levari videtur, rurſus intenditur, & ſæpius in die cum horrore repetit: nuncque ſummam ſpirandi difficultatem, nunc membrorum reſolutionem, nunc animæ defectionem, aut aliquod hujuſmodi ſine ratione infert, quod, urgente febris vigore, adeo non augetur, ut potius minuatur, omniaque, inclinata acceſſione, ſponte deſinant. Præterea pulſus inordinatas ipſi quoque mutationes ſubeunt, & in febris deceſſione parvi, contracti, inæqualeſque perſiſtunt, urinaque varia eſt. Pulſuum autem exploratio maxime indicium præbet, ſi febris continenter tenet. Nam ſæpe ſine cauſa ita exigui, imbecilleique fiunt, ut æger in malis eſſe videatur: tum ſubito robur quoddam acquirunt, & inopinatam validitatem, quæ brevi iterum concidit, cum cætera ſigna tantam virium deficientiam minime denuntient. Peſtilens autem febris non occupat, niſi in perfecto demum, eoque peſſimo ſcorbuto, cujus præſentiam multa ſigna manifeſte teſtantur. Dolores vero ſcorbutici in univerſum his indiciis cognoſcuntur. Vagi ſunt, & ſæpius intermittunt, noctu gravius urgent: ſæpe etiam in oppoſitum latus tranſeunt, & repente viſcera invadunt ſine inflammationis ſignis, itemque re-

pente

pente ſolvuntur. Præter hæc cum levi quadam paralyſi conjunguntur, aut eos illa ſubſequitur, atque ubi ceſſant, plerumque cuti maculas inducunt. Lateris dolor is, qui pleuritidem ſimulat, ab illa diſcernitur, quod modo remittit, modo rurſus intenditur, non febrem, aut certe levem, non tuſſim movet, aut certe mitem, eamque ſiccam ſine moleſtia; pulſus contracti, non tamen duri ſunt, fereque ſpiritus non admodum difficulter trahitur. At dolor colicus ſæpius recurrit, & ut plurimum paralyſim infert, maxime artuum inferiorum: diſtat autem a colica Pictonum, quod in illa paralyſis fere diuturnior, & pertinax eſt, in hoc brevis, & ſponte quoque cedens. Qui vero in renibus verſari dolor videtur, & calculi metum incutit, eo difficilius dignoſcitur, quod rubra urina excernitur, ſic, ut cruentæ ſpeciem habeat, ſimulque quædam corpuſcula interdum trahit, ſimilia craſſiori arenæ, aut minutis calculis. Sed imprimis hæc quaſi arenoſa a veris arenulis diſtinguenda ſunt, quæ calculum denuntiant, quod facili obſervatione fieri poteſt. Nam ſi excreta urina arenam, ſive illa friabilis, ſive durior ſit, ſtatim dimittit, calculi ſignum præbet: Scorbuticorum vero urina cum demum frigeſcit, corpuſcula illa aut matulæ lateribus hærentia, aut ſubſidentia paulatim exhibet: eademque corpuſcula fere reſolvuntur, ſi urina per ignem rurſus incaleſcit, maxime ſi aqua diluitur. Urina vero rubra tantum, an vere cruenta ſit, cognoſci poteſt per propria ſigna, quæ fuſe ab Auctoribus, qui de mictu cruento ſcripſerunt, expoſita ſunt. Igitur ſi neque urinam cruentam, neque ea corpuſcula arenoſa eſſe conſtat; dolorem ex ſcorbuto oriri id ipſum oſtendit. Scire tamen licet

in iis

in iis ſcorbuticis, qui talem urinam reddunt; interdum calculos quoque naſci. In hoc caſu ſcorbutus per alia ſigna explorandus eſt: calculum vero ſimul adeſſe urina teſtatur, utique ſi arenoſa, vel cruenta eſt, ſi non eſt, cætera calculi ſigna inveſtigare oportet: maximeque dolorem: qui ſi in renum regione perſiſtit, & ſecundum ureterum deſcenſum quandoque protenditur, quamquam etiam alias diſſitas partes ſine ordine infeſtat, hoc ipſo calculum indicat: quoniam dolores ſcorbutici illud etiam habent proprium, ut cum in aliam partem incumbunt, fere ſemper priorem ex toto relinquant. At nervorum reſolutionis, quæ in ſcorbuto ſæpiſſime incidit, illa propria ſigna recenſentur, quod brevis, & verſatilis ſit, fereque eam partem occupet, quam dolor ſtatim antea vexavit. Itaque videmus poſt artuum dolorem, eorum motum, & ſenſum, aut horum alterum, vel in totum, vel magna ex parte perire. Verum poſt unum, alterumve diem cruribus inſiſtit, ac etiam per ſe progreditur is, qui ea ne paululum quidem movere poterat. Tum ex manu in brachium, ex hoc in crus vitium tranſit, & ab uno latere in oppoſitum fertur. Quæ in vera paralyſi non contingunt. Difficultas vero ſpirandi non parum quidem convenit cum aſthmate, ut vocant, convulſivo, hypocondriacis familiari, de quo plura Hofmanus litteris mandavit. Nam in utriſque & pectoris anguſtia maxime moleſta eſt, & in nothis coſtis ſenſus, quaſi conſtringentis vinculi, fatigat, & animi motibus malum facile concitatur. Sed aſthma Hypocondriacum fere poſt aſſumptum cibum affligit, acceſſione inſtante, perque eam alba, & tenuis urina fertur: flatibus ſurſum, deorſumque erumpentibus incommodum nonnihil levatur. Contra

tra

tra difficultas ſpirandi in ſcorbuto modo ante, modo poſt cibum, modo per diem, ſæpe veſpere, noctuque invadit, ſic; ut nullum ordinem conſervet: non ructus, non crepitus adſunt, vel emiſſi non proſunt: urina ante acceſſionem, atque in ea varia eſt: nulla tuſſis, nullus ſtertor, nullum ſputum, vel certe perquam raro eſt, & fere numquam ſpirare erecta cervice æger cogitur. Quod ſi corpus interdum tentat erigere, ut mali levamen aliquod inveniat, facile frigidi ſudores oriuntur, anima deficit: ubi vero reſupinatur, momento reſtituitur. Quamquam etiam ubi decumbit, modo levior, modo gravior ſubrepit animi defectio. Et his quidem ſignis malum ab hypocondriaco, cæteriſque aſthmatis ſpeciebus diſcernirur. Hydrops autem ſcorbuticus cum ſpirandi difficultate oritur, cum alias, niſi increſcente jam morbo, aut perfecto, fieri non ſoleat, ſimulque præcordiorum anguſtia torquet, venterque medicamentis, quæ ipſum purgant, adeo non detumeſcit, ut magis intendatur, ſpirituſque difficilius trahatur: labraque, & genæ, ſi corpus ſanguine turget, ſublivida fiunt, adpreſſique cuti digiti, ut plurimum, veſtigium non relinquunt: tumorque ſæpe ſponte minuitur, & deinde rurſus increſcit. Atque hæc ſint velut quædam exempla proprietatis, quam habent ſcorbuti ſymptomata. Supervacuum enim eſt plura afferre, primum quod ſatis luculenter hæc res ab aliis tractata eſt: deinde quod nihil de ea dici poteſt, quod perpetuum ſit. Ideoque ſolertia, uſu confirmata, maxime neceſſaria eſt in ſcorbuto dignoſcendo, præſertim cum ea quoque, quæ poſita ſunt, quamvis plerumque, non ſemper tamen eodem modo eveniant. Sed eſt circumſpecti medici, ſi quid non reſpondet, cætera conſidera-

ſiderare: non enim fieri poteſt, ut ſigna omnia deficiant. Itaque ut contraham ea, quæ de ſcorbuti diagnoſi latius deduxi, gingivarum vitium, oris fœtor, maculæ in cute, artuum præſertim inferiorum dolor, crurumque vacillatio pro tutioribus indiciis haberi poſſunt. Tum cauſas morbi, pulſuſque, & urinam inveſtigare oportet, & phænomena, quæ apparent, curioſius æſtimare, atque obſervare ſi qua eſt in illis anomalia. Per hæc enim in ſcorbuti cognitionem, etiam inter ipſius initia, venire poſſumus. In progreſſu vero, & priora inditia magis aperta fiunt, & alia plura accedunt ex aliis malis, quæ priori capite expoſita ſunt, ut plane tollatur omnis dubitatio: ſed cum magna ſit morbi iſtius convenientia cum melancolia, affectione hypocondriaca, & venerea lue, etiam facilior erit diagnoſis, ſi indicia proponam, quibus hic ab illis internoſci poſſit. Prius de melancolia dicam, quam ita definit Boerhaavius (a) *ut ſit morbus, in quo æger delirat diu, & pertinaciter ſine febre, eidem fere, & uni cogitationi ſemper affixus*. Hacque nota protinus a ſcorbuto diſtinguitur, quamquam ubi incipit, quædam habeat cum eo communia, ut *color externus, enternuſve, primo pallidior, flavior, & cum maculis ſimilibus..... torpor ad motus*. Sed alia cum his ſigna ſunt, quæ nunquam, vel rariſſime in ſcorbuto apparent, *ſolitudinis amor, affectus animi quicumque pertinaces, magni, in reliquis ἀδιαφορία, ſumma ſimul ſtudii cujuſque, & laborum conſtantia*. Ubi vero humor atrabilaris, qui cum ſangui-

(a) *De Melancolia* §. 1089.

guine mixtus hæc ſigna exhibet, ſenſim in viſceribus abdominis neceſſario congeritur, & morbum, quem Hypocondriacum vocant, facit is & iiſdem prægreſſis ſignis a ſcorbuto diſcerni, & novis aliis poteſt. Hæc ſunt: ſenſus aſſidui ponderis, anxietatis, repletionis in præcordiis, maxime ab aſſumpto cibo, & potione: læſaque præcipue concoctio cum ſpaſmis, flatibus, ructibus, alvoque valde adſtricta. Quod ſi quis dicat interdum anxietatem quamdam etiam ſcorbuticos male habere: huic ſciendum eſt, eam non eſſe conſtantem, ſed ſubinde tantum redire, neque ſemper ab aſſumpto cibo: cum in hypocondriacis ſit pene perpetua, in quibus etiam ſenſus ponderis, & repletionis in pręcordiis aſſiduus eſt. Illud quoque iis proprium eſt, cum intolerabili illa anxietate, ſalutis deſperationem conjunctam habere. Idem de læſa concoctione dicendum eſt, quæ in hypocondriacis primarium malum eſt, cum iis ſingis, quæ modo memoravi: in ſcorbuticis, ſi quod ex his contingit, non præcipuum, ſed quaſi adjunctum, neque permanens eſt, ſed errat, & cum aliis ſymptomatibus velut commutatur. Eſt etiam altera ſpecies affectionis hypocondriacæ, quam clariſſimus Svvietenius vocat *ſine materia*, cum ſuperiorem *cum materia* nominaverit, eſtque ea, de qua Sydenhamius optime diſſeruit in Epiſtola ad Gulielmum Cole. Ejus ſigna non alia fere ſunt, quam quæ in priori ſpecie obſervantur, niſi quod ſenſus non tam ponderis, repletioniſque in præcordiis, quam anxietatis, anguſtiæ, conſtrictioniſque moleſtus ſit; neque ſigna adſint præſentis humoris atrabilaris. Omne enim diſcrimen in eo eſt, quod in hac ſpecie, nimia nervorum mobilitas, ſine materia atrabilari, malum facit. Ex

quo

quo fit, ut ſpaſmi, flatuſque frequentes ſint, & qui hoc genere tentantur, magnam copiam tenuis, & albæ urinæ idemtidem excernant. Quod tamquam proprium, ac pene præcipuum hujus, & hyſtericæ affectionis (quas unum, eumdemque morbum eſſe judicavit) ſignum Sydenhamius propoſuit, atque incipientis, aut inſtantis, acceſſionis indicium: acceſſionemque ipſam ſola animi paulo graviori perturbatione arceſſiri notavit. At Venerea lues dignoſci a ſcorbuto poteſt, quod cutem, membranam adipoſam, muſculos, tendines, glandulas, oſſaque invadat, maculis, ulceribus, tumoribus, dolore, carie, viſceribuſque fere ſemper parcat: maculas faciat, cruſtaſque, ut plurimum, coloris ex flavo viridis, eaſque uno loco fixas, oris ulcera primo in faucibus, uvula, extremo palato, tardius in gingivis, dolores frangitivos, noctu ingraveſcentes, diuturnos, fixos. Contra ſcorbutus viſcera quoque afficit, maculæ, cruſtæque varii coloris ſunt, eædemque cito abeunt, ſæpiuſque revertuntur: exulceratio fere ſemper gingivas, tardius alias oris partes occupat: doloreſque ut interdum noctu ingraveſcant, tamen fere aut æſtuoſi, aut frigefacientes, & intra breve ſpatium modo graviſſimi ſunt, modo remittunt, locumque mutant: nonnumquam in oppoſitum latus, ut dixi, ſic tranſeunt, ut alterum ex toto dimittant. Minus quidem expedita cognitio eſt, ubi melancoliæ, hypocondriacæ, atque hyſtericæ affectioni, luique venereæ ſcorbutus junctus eſt, aut poſtea ſuccedit. Sed primum ob hoc, quod id ſæpenumero contingat, periti, prudentiſque medici eſt, hanc notam arripere, aliaſque exquirere, quæ ſcorbuti præ-

ſentiam teſtentur: deinde has conferre cum iis, quæ his morbis, de quibus ſuſpicio eſt, magis propriæ reputantur. Fere enim inveniet, alias alicui ex his, alias ſcorbuto convenire. Ex quibus facilis conjectura erit in eo caſu alterum morbum alteri conjunctum eſſe, ſive id inter initia adverſæ valetudinis inciderit, ſive, quod magis frequens eſt, priori morbo ſcorbutus ſupervenerit.

CAPUT TERTIUM.

De ſcorbuti differentiis.

HActenus de ſcorbuti diagnoſi communiter dictum eſt. Sed plures hujus morbi ſpecies ſunt, & diverſæ, quarum notæ proponendæ ſunt. Neque enim morbum cognoviſſe ſatis eſt, ſed ſpeciem ejus attendere oportet, qua quiſque laborat. Neque de iis ſcorbuti differentiis loquor, quas nonnulli a quibuſdam accidentibus deduxerunt, ut alius hæreditarius, alius acquiſitus, alius maculoſus, alius lividus, alius gingivalis ſit, aliaſque hujuſmodi differentias adjungunt. Quæ quidem diſtinctio varietatem originis, & ſymptomatum indicat, variam morbi naturam non manifeſtat. Nam eſt, ubi & hæreditarius, & acquiſitus, & lividus, & maculoſus eamdem curationem, quantum ad morbi quidem radicem evellendam pertinet, omnes requirant. Itaque morbi gravitate, & periculi magnitudine differunt, natura, & curatione non differunt. Idemque dicendum eſt de ſcorbuti diſtinctione in acutum, & longum, quæ utilis quidem, imo etiam

etiam neceſſaria eſt, ad periculum, quod in acuto morbo præceps eſt, celeritate, & efficacia curationis avertendum: ſed non alia in acuto, quam in longo curatione opus eſt, ubi eadem utriuſque natura ſit. Eæ igitur ſpecies potius proponendæ ſunt, quæ ſitæ ſunt in diſſimili acritatis ingenio, quæ eſt in humoribus corporis, quæque majori ex parte morbum conſtituit. Quidam has duas eſſe dixerunt; alteram frigidam, calidam alteram, quarum primam ſalino-ſulphuream, ſecundam ſulphureo-ſalinam Villiſius, nominavit. His tertia a Friderico Hofmano viro eximio adjecta eſt, quam vapidam appellavit. Sed Hermanus Boerhavius commode in quatuor ſpecies morbum diduxit, ut una eſſet ſalſo-muriatica, altera accido-auſtera, rancido-oleoſa tertia, quarta alcalino-fœtens. Nimirum tot fere acritatis ſpecies inveniuntur, quæ inducere ſcorbutum ſolent. Ego hanc diviſionem & ad morbum intelligendum perutilem, & ad curandum neceſſariam retinebo. Igitur ſcorbuti, antea per communes notas cogniti, ſpecies per proprias exploranda eſt. Propriæ vero ſingularum ſpecierum notæ non aliæ ſunt, quam quæ propriam cujuſque acrimoniam oſtendunt. In quibus explicandis, non dubitabo ejuſdem Boerhaavii (a) doctrina uti, paucis adjectis, aut mutatis, quod cum meis obſervationibus eam convenire deprehenderim: ita vero utar, ut quæ ille de acrimoniis in univerſum protulit, ego proprie ad ſcorbutum deducam, eique velut accommodem. Scorbutus muriaticus, his indiciis cogno-

(a) *Loc. ſupracit.* §. 911. *& ſequent.*

cognoſcitur. Totum corpus ſiccum, & rigidum eſt, fauces aſperæ, vox rauca, ſalſus in ore ſapor percipitur, & ſi potio in eo continetur, eomagis, omne etiam ſputum ſalſum eſt, ſitis aſſidue urget, urina ſalſa, & fulva excernitur, quæ tarde putreſcit, & quaſdam miculas habet, & ſuperſidentem pelliculam, craſſumque ſedimentum: interdum alvi fluxus aquoſus fit. Tum gingivæ pruriunt, rubent, & potius exeduntur, quam corrumpuntur: ulcera quoque, ſi qua ſunt, rubent, tardeque procedunt, neque admodum fœtent, in quibus ſenſus eſt quaſi rodentium, exque iis fluit tenuis, atque acris humor, qui proximas partes rubefacit, atque erodit. Accedunt rodentes dolores. Medicamenta ea fere proſunt, quæ ex multa aqua, & aceſcentibus, aut blande acidis vegetabilibus confecta ſunt. Hæc ſpecies non aliunde originem habet, quam ex immodico uſu maritimi, aut congeneris ſalis. Cadere igitur poteſt in frigidæ æque, ac in calidæ naturæ corpora: ſed quæ calidæ, & ſiccæ naturæ ſunt, facilius eam contrahere videntur. Acidum vero ſcorbutum indicant cutis laxa, faciei, labrorum, totiuſque oris interni pallor: nullum potionis, plerumque ingens deſiderium cibi, etiam inſueti, & inutilis, ut terræ, calcis, carbonum: ſapor acidus in ore: fæces alvi torminales, & virides, vel albæ, flatulentæque: alba, craſſa, fereque inodora urina, in qua ea quoque, quæ copioſe ſubſidunt, alba, & craſſa ſunt: ructus, alvus, ſudor acidum olentia: vagi dolores cum ſenſu frigoris, & lacerationis: tumentes, laxæ, pallidæ gingivæ: ulcera quoque pallida, tarde ſerpentia, cum humore mucoſo, aut tenui, ſed minime calido, vicinaſque

naſque partes non rubefaciente: ſanguis e venis eductus, craſſus, & pallidus, vel nigreſcens, ſed parum compactus: promptum ab his auxilium, quæ acido contraria ſunt. Frigida, & humida corpora imprimis hæc ſpecies tentare ſolet, ſi acidis, vel aceſcentibus, farinoſis, craſſiſque cibis abutuntur, atque in otio languent. Plerumque autem junctum habet nonnihil auſteri, maxime ſi in corpora incidit, quæ humoribus ſcatent terra abundantibus, qualia melancolicorum ſunt, ſique ſæpius, & immodice acerbus, atque auſterus cibus aſſumptus fuit. Signa fere eadem ſunt: corporis tamen habitus aliquanto ſtrictior, & ſiccior fit, & color ex pallido ſubater. Duæ reliquæ ſpecies calidis, & humidis, calidis & ſiccis, plethoricis, obæſiſque corporibus magis frequentes ſunt. Sed in rancido-oleoſa, de qua prius dicam, cutis arida, os ſiccum, ſordidum, & amarum eſt, cum odore empyreumatico, nidoroſis, rancidis, fauceſque exurentibus ructibus, inexplebilis ſitis moleſtat, quæ aquæ potu ne parum quidem levatur, per acida ſaponacea aliquantum miteſcit: pinguis, fervens alvus eſt, & fœtidior, quam naturaliter eſſe ſolet: urina pauca, acris, flammea, admodum ſpumans mali odoris: calentes, fœdæ, fuſci coloris, fœtidæ gingivæ: ulcera quoque nigra, arida, vel ſubpinguia, cum calore: dolores moleſtiſſimi, ferventiſſimique, emiſſus ſanguis omnino tenax, niger, & quaſi uſtus: inflammationes validæ, pertinaceſque, ex his facilis ad gangrænam tranſitus. Inter cætera pingues, oleoſique cibi in corporibus, aut debilibus, aut etiam attritis nimis laboribus, præſertim in aere calidiori, hanc ſpeciem gignere conſueverunt. At alcalini ſcorbuti primum, ac

præ-

præcipuum ſignum odor eſt, quaſi corrupti cadaveris, quem gingivæ, ſpiritus, ſputum, ſudor, urina, alvus, totum denique corpus emittit. Vehemens etiam, & pertinax ſitis urget, & acidi cibi cupiditas eſt, alvus ſoluta, ſplendens, ſubatra, vel nigra deſcendit, craſſa, ſpumoſa, nigraque urina fertur, & vix quidquam in ea deſidit: ſanguis facile quacumque parte prorumpit fervens, tenuis, vix concreſcens, & protinus male olens, atque huic ſimilis eſt is, qui inciſa vena mittitur: gingivæ lividæ, & fœtentiſſimæ ſunt, & corruptæ, in fruſta decidunt: ulcera quoque cinereum, aut lividum, aut nigrum habent colorem, & celerrime ſerpunt, puſtulæ oriuntur ſubrubræ, pallidæ, lividæ, nigræ, ichore plenæ, quæ cito gangræna occupantur: eademque gangræna in viſceribus, & ſphacelus fit: itemque in externis partibus cum bullis, ſimulque antrhaces, bubones, aliique maligni tumores concitantur. Carnes, maxime animalium carnivororum, imprimiſque avium aquaticarum, piſciumque multorum, multoque magis ſi ſubputridæ, vorantur: potuſque aquarum corruptarum, fœtentiumque ad ortum hujus ſpeciei valde conferunt. In qua præterea indicium ab acidis etiam mineralibus juvantibus habetur: in præcedenti ab acidis vegetabilibus, ſaponaceis, reſolventibuſque, frigidis, & aquoſis. Animadvertendum eſt autem alcalini ſcorbuti, ſi adhuc inter initia eſt, ſigna eſſe magna ex parte iis ſimilia, quæ muriaticum manifeſtant. Sed ubi in iis apparent, qui ſale maritimo non valde uſi ſunt, hoc ipſo morbi ad alcalinam naturam accedentis indicia ſunt, quod muriaticæ acritatis præcipua cauſa defficiat. Quin etiam illud ſcire licet, hæc ſigna tot, tamque manifeſta in ſummo

mo tantum ſingularum ſpecierum gradu obſervari. Nam in acida acritate alvus quidem facile acidum olere ſolet, ſudor non item: eademque ratione alcalina malum, gravemque odorem protinus fere habet, fætor vero ille cadavericus non fit, niſi cum morbus multum proceſſit. Itaque pro majori minorique cujuſque acrimoniæ, intenſione, graviora quoque, vel leviora inditia oriuntur, quæ tamen medenti ſingularem ſpeciem ſemper oſtendunt: maxime ſi ægri temperamentum, prægreſſæque cauſæ, adverſæ valetudinis conſiderentur. Neque alterum illud ignorari oportet, uni ſoli ſigno fidendum non eſse, cum aliqua res ſubeſse poſſit, quæ illud exhibere valeat, neque idem ſemper reſpondeat, præſertim in hoc morbi genere, quod tam varia facie ſæpenumero decipit. Siquidem etiam alba, & craſſa urina pro nota acidi ſcorbuti poſita eſt: tamen inter initia hujus morbi talis interdum excernitur, etſi alia ipſius ſpecies eſt: itemque interdum nigra fertur in ſcorbuto non alcalino, quæ tamen hujus indicium eſſe conſuevit. Igitur alba, craſſaque urina acidam, nigra alcalinam ſpeciem denuntiant, ſi huic calida corporis natura accedit, cum æſtu interno, gravi odore, alvoque pariter nimis fœtenti, ſi etiam uſus ciborum alcaleſcentium cum longa abſtinentia a recentibus, aceſcentibuſque vegetabilibus præceſſit, in illa vero ructus acidi ſunt, fæceſque virides, ſolutæ, acidum ſpirantes in corpore frigido, debili cum ſenſu ſubrepentis identidem frigoris, & frequenti uſu farinoſorum ciborum, acidorum, aceſcentiumque. Hujuſmodi autem animadverſio præcipue neceſſaria eſt, ubi a gingivis morbi indicium petitur. Nam fœtorem præcipuum alcali-

F næ ſi-

næ ſignum eſſe ſupra dixi, eumque intolerabilem ex gingivis exire. Tamen in aliis quoque huius valetudinis ſpeciebus, fere malus odor in gingivis eſt, quod mirum fortaſſe alicui videri poteſt, cum in acida humores a putredine longe abſint, in muriatica vero illos, contra eam non parum tueatur maritimi ſalis copia. Sed male tamen olent gingivæ etiam in his quoque ſpeciebus. Credo quia ſtagnantes in illis humores calore viventis corporis, & libero aeris acceſſu prompte putreſcunt: de qua re alius erit dicendi locus. Fere autem illud diſcrimen intercedit, quod in alcalino malus gingivarum odor protinus incipit, qui in muriatico, acidoque nonniſi tarde ſupervenit, in quibus ne tum quidem cum ad ultima ventum eſt, adeo fœtidus fit, ut in priori, ubi malum increſcit. Idem quoque de hæmorragiis ſentiendum eſt, quas inter ſigna alcalinæ collocavi: non quod ſanguis in aliis quoque ſpeciebus interdum non profluat, ſed quod in illa & frequentius, & copioſius, & periculoſius id contingat. Sanguis vero profluens eas qualitates habet, quas indicavi, quæque eſſe in aliis non poſſunt. Ex quibus omnibus apparet, quo juditio cæteris quoque cujuſque ſpeciei ſignis utendum ſit. Denique non omittam ex quatuor his ſpeciebus interdum alteram alteri ſuccedere, hoc ordine, ut omnes in alcalinam vergant, ſed rancida prompte, acida difficillime eo perveniat, muriatica inter has mediam ſe habeat. Contra vero neque alcalina, neque rancida in acidam, aut muriaticam commutari poteſt, neque acida in muriaticam, neque muriatica in acidam. Nunc de iis mutationibus loquor, quæ ſponte fiunt, Negari enim non poteſt, acidam

dam acrimoniam in muriaticam declinaturam, aut certe multum ex ea eſſe contracturam in eo, qui acido ſcorbuto laborans, ingentem maritimi ſalis copiam quotidie ſumpſerit. Neque pertinaciter repugnabo, ſi quis contendat, poſſe aliquando e. gr. alcalinum ſcorbutum, ſi inter ejus initia acida medicamenta adhibentur, victuſque ratio inſtituitur ei contraria, quæ morbum intulit, non modo tolli, verum etiam diuturno, & immoderato illarum rerum uſu in contrarium vitium verti.

CAPUT QUARTUM.

De ſcorbuti Prognoſi.

PRoximum eſt, ut de ſignis dicam, quæ denuntiant quantum ſpei, vel periculi ſubſit. Igitur prompta curatio ſperari poteſt, ſi recens morbus eſt, ſi leviorem cauſam habet, ſi alio morbo non ſupervenerit. Contra vero ſi inveteraverit, difficillime tollitur, cum longinquo alioquin tempore poſſit excruciare. Sed a fęminis diutius ſuſtinetur, in quibus trahitur etiam annis viginti. Imprimis autem diſtinguere oportet, acutus ne is morbus, ut in obſeſſis urbibus contingit, an longus ſit. Ille enim ſæpius, celeriuſque ad exitium procedit. Quamquam etiam ſi longi generis morbus eſt, ſalus nonniſi magna mole reſtituitur, ubi graves longæque cauſæ, pluresve ſimul in morbo producendo concurrerunt: maxime vero ubi ex melancolia, hypocondriaca affectione, veteri quartana, aliove diu-

turno morbo vitium cæpit. Difficilius etiam liberantur, qui id a parentibus duxerunt, vel ab iis orti ſunt, quos venerea lues infecerit, vel ipſi eadem lue infecti ſunt. Rurſus morbus ſi protinus per gingivarum levem intumeſcentiam; & pruriginem, ruboremque, atque exeſionem manifeſtatur ſic, ut nulla graviora mala accedant, prompte remediis eliditur. Bonumque ſignum eſt, eumdem vagum eſſe, neque partem aliquam aſſidue occupare. Nam ubi aliquo loco hæret, metus eſt, ne ſolida ipſa lædantur, & corrumpantur. Quapropter ſi ſedem aliquam occupat, neque recedit, etiam melius eſt, id in externis, minuſque neceſſariis partibus fieri, quam in nobilioribus ipſiſque viſceribus, quæ obſtrui, exedi, ac tandem corrumpi ſolent. Ac ſi in nervos malum incumbit, maxime periculoſum, & curationem habet difficillimam. Id in iis plerumque contingit, qui nervis mobilioribus donati, & a parentibus epilepticis, hypocondriacis, hyſtericiſve orti ſunt. Maculæ autem rubræ, quæ inter initia fiunt, valido adhuc corpore, quibus apparentibus morbus levatur, aut certe non intenditur, meliores ſunt; virides, lividæ, nigræque fere pejorem gradum morbi indicant. His ſubito decedentibus, ubi æger in malis eſt, cæteraque ſymptomata increſcunt, mors inſtat, magiſque ſi fauces lividæ fiunt: eædemque interdum poſt mortem rurſus apparent. Longe autem optimum eſt febrem omnino non eſſe, ſecundum levem eſſe, neque continenter tenere. At malum eſt, ſi numquam dimittit, & inter hæc ſudor ſine levamine copioſus effluit. Nam fere atrophia ſupervenit. Peſſimumque eſt, atque deterrimum ſi febris vehemens cum notis magnæ putredinis. Et ſudor quidem ſi

fre-

frequens, & largus eſt, ut plurimum nocet: modicus prodeſt utique ſi corporis vis conſtat, neque putridæ, ſed ſalubris humorum reſolutionis inditia oboriuntur. De alvo, & urina ſic habendum: quo majorem putredinem oſtendunt, eo eſſe deteriora: putredinis autem ſigna maxime ex odore, & colore deſumi. Urina igitur admodum rubra mala, nigra, & fœtens peſſima eſt. Quamquam monuerint viri quidam clariſſimi ſine magno periculo in ſcorbuto nigram urinam ferri, nimirum ut ipſi contendunt ex atrabilaria materia ſoluta, & per hanc viam excreta. Quod interdum quidem fieri concedo, cumque odor non ferre pejor eſt, quam eſſe naturaliter oporteat. Sæpe vero aliter res ſe habet, ubi obſcuro colori junctus eſt gravis fœtor certiſſima putredinis nota, taliſque urina per ſe eſt ſic, ut fœtorem illum ex diuturna mora in veſſica, aut ex pure renum, ejuſdemque veſſicæ, aut vicinarum partium exulceratarum non contrahat. Neque in hoc diſſentire viri illi ſpectatiſſimi videntur. Itemque alvus liquida, fervens, ſplendens, nigra, graviſſimique odoris magnum metum poteſt exhibere. Eademque ſuppreſſa non tuta eſt, periculoſior tamen dejectio eſt, ſi brevi non ceſſat. Vomitus quoque ut plurimum non utilis, maxime ſi frequens eſt. Ex his enim evacuationibus: præter alia damna, quæ contingunt, ventris cruciatus intendi obſervatum eſt. Sed cum in præſagiendo medici non parum arteriarum pulſibus credant, in hoc valetudinis genere iis minime fidendum. Etenim quam fallaces ſint, patet ex iis, quæ in diagnoſi de his ſupra dixi. Non igitur, ſi exigui, imbecileſque ſubeunt, ſimulque intermittunt, ſpem omnem tollunt, ſępe enim paulo poſt

lo poſt meliores fiunt. In quo Riverium quoque deceptum fuiſſe, eodem ſuperiori loco retuli. Neque tamen quia non ſemel ęger inde evaſerit, de eo medicus eſſe ſecurus debet, quoniam aliqui in hoc caſu etiam ſubito occumbunt. Denique bubones, anthraces, gangræna, ſphacelus perniciem denuntiant, quæ citius, aut ſerius inſtat, pro varia horum gravitate. Sanguinis vero profluvia, periculoſa ſunt, quæ aut putridam humorum diſſolutionem induant, aut vaſorum exeſionem: ac ſi ſanguis ab eroſis, corruptiſque viſceribus erumpit, plane mortiferum eſt. Alioquin copioſo hæmorrhoidum, aut menſtruorum fluxu nonnumquam morbum levari proditum eſt; pręcipue, ut ego judico, ſi antea aſſuetæ iſtæ purgationes reſtiterint. Inter hæc illud notari meretur: dolores cum os acrius torquent, in ventre leniri, & e contra. Quæ viciſſitudo in aliis quoque hujus morbi ſymptomatibus deprehenditur; ut cum ſtomachi dolor thoracis, anguſtia, ſpirandi difficultas, aliaque mala eumdem ægrum excruciant, ſi unum ex his augetur, cætera fere ceſsant, aut certe valde imminuuntur. Sæpe etiam artuum dolores ſolvuntur, maculis in proxima cute erumpentibus, vel paralyſi ſuccedente. Tumores quoque cito abeuntes, redeunteſque, ut plurimum, paralyſim inſtare docent. Fere autem, quos gravis, & diuturna ſpirandi difficultas, cum anxietate male habet, in iis hydrops timeri poteſt, vel lethalis animæ defectio. Magni, lividi, ſcirrhoſique tumores in cruribus, vel fæmoribus ſimul cum inſigni gingivarum corruptione, hydropis item, vel atrophiæ metum faciunt. In quo ſcorbutum arquatus morbus, vel præceſſit, vel ſubſecutus eſt, proximum eſt, ut atrophia, hydrops, vel ſanguinis profluvium ei vitam eripiat

piat. Fœminæ eæ, quas multos annos trahere dixi, tabe, vel nonnumquam ſubita morte reſolvuntur. Sanguinis ſputum, maxime ſi frequens eſt, pulmonalem phtiſim timendam eſse teſtatur, quod præcipue in juvenibus plethoricis, & ſanguineo biliosis contingit. Gangræna autem facile occupat mala ulcera, & tumores, tum viſcera, & quamcumque internam, externamque partem, præſertim ubi putrida febris urget. Denique ſubitæ mortis periculum eſt non modo, ut dixi, ubi ſpiritus difficilis, & anxietas diutius premit, ſed etiam ſi anima frequenter deficit, vel viſcus aliquod ita corruptum eſse appareat, ut levi de cauſa ex ipſo ſanguis profluere poſſit, & hominem exanimare. Cæterum ex quatuor ſcorbuti ſpeciebus, muriatica, & acida minus terribiles ſunt. Non tamen in ulla facile pronuntiandum eſt, quid eventurum ſit, quamvis hæc, quæ indicavi, frequentius contingant. Spes enim interdum fruſtratur, interdum metus inanis eſt, & moritur aliquis, (a) qui aut convaliturus, aut diutius tracturus videbatur: ſanatur is, quem medici prope deſeruerant. Hæc ut aliquando in aliis quoque morbis incidunt, vix præter ſcorbutum inter longos alius eſt, de quo eadem tam frequenter notata ſint. Qua propter iis aſsentiendum eſt, qui quod de acutis morbis prædixit Hippocrates, ea putant commode transferri ad ſcorbutum poſse, videlicet ut Celſus quoque habet, *fallaces magis notas eſſe & ſalutis, & mortis*.

CA-

(a) *Anſons Voyage round the VVorld. &c. pag.* 143.

CAPUT QUINTUM.

De Scorbuti cauſis in genere.

EXpoſitis iis omibus, quæ pertinent ad ſcorbutum, ejuſque ſpecies cognoſcendas, & ad præſagium inſtituendum, ipſius quoque cauſas exponam. Malui autem illa præmittere, ut morbi quædam ratio, ac velut ingenium extaret obſervationibus detectum, antequam ad illius naturam inveſtigandam accederem. Ideoque etiam cauſas ejuſdem prius exequar, quia harum cognitio in deprehendenda natura morbi plurimum valet. Cauſæ vero illæ plures ſunt. Ego de ſingulis dicam, ubi pauca in univerſum propoſuero. Notiſſima cauſarum partitio eſt in prædiſponentes, & occaſionales. Prædiſponentes vero vel particulares ſunt, vel univerſales: particulares, quæ oriuntur a propria cujuſque conſtitutione; univerſales, quæ fere regionis ſortem ſequuntur. Hippocrates utraſque deſignavit: primas, cum naturam a natura differre: alteras, cum homines differre dixit inter ſe, pro regionum varietate. Sed ſi quis curioſius æſtimat, cauſæ illæ univerſales fere procatharticis continentur. Nam quidquid regionis varietas in corpora poteſt, id aeris maximam partem, victuſque ratione poteſt, quæ in aliis locis alia ſunt. Verum de aere, cibo, potione, exercitatione &c. ſermo inſtituitur eo loco, qui eſt de rebus, ut vocant, non naturalibus, quæ inter procatharticas, ſive occaſionales cauſas haberi ſolent. Quod eo dico, quia cum ſcorbutus ſeptentrionalibus gentibus endemius dicatur, gentes illas ſæpius quidem in morbum iſtum

incurrere intelligamus: hujus tamen rei rationem in latentibus cauſis quærendam non eſſe, ſed in evidentibus ſic, ut ſi in locis etiam a ſeptentrione diſſitis cauſæ iſtæ concurrerint, ut certe poſſunt, eumdem morbum ſint concitaturæ. Quod, ut ſpero, clarius elucebit, ubi præcipuas ſcorbuti cauſas expendam, quas maxime ad aera, cibum, potionemque referre ſolent. Et jure quidem. Nam hoc ipſo, quod endemius quibusdam locis is morbus eſt, ejus cauſam in aere, victuque poſitam eſſe concipiunt, quibus omnes ad vitæ conſervationem neceſſario uti debent. Communium enim morborum, ut Hippocrates dudum propoſuit, communes cauſæ ſunt. Sed præter diſpoſitionem illam, quæ ex uſu harum rerum paulatim exoritur, requiritur etiam latens illa corporis inclinatio ad eum morbum, quæ non conjectura, ſed fere obſervatione, & experientia cognoſcitur. Nam ne in ſeptentrionis quidem non dicam, omnibus regionibus, ſed eadem civitate, aut pago, omnes, inquibus eædem cauſæ ſunt, ſcorbuto laborant, ut neque in peſtilentia loci alicujus omnes afficiuntur. Quam notitiam exitu demum aſſequimur, conjectura antea non comprehendimus. Quod ſi abditam hanc prædiſpoſitionem ad ſcorbutum fere ſolum in ſeptentrionalibus gentibus reperiri aliquis contendat: quæram quodnam habeat is hujus rei argumentum. Exitum ipſum inquiet. Plures enim ex iis ſcorbutus male habet. Quod equidem facile credo. Sed nunquam ne alibi neque in Gallia, neque in Italia ſcorbutici reperti ſunt? Ut ſi in his quoque regionibus aliquos eo morbo affectos fuiſſe, & identidem affici concedat, nullam argumenti vim eſſe ipſe fateatur, ſi nullos, veritati repugnet. Multitu-

do autem ſcorbuticorum ſub ſeptentrione, non tam abditam corporum inclinationem, quam concurſum, & inceſſantem vim cauſarum externarum oſtendit. Nam Itali quoque (ut de iis potiſſimum loquar, quorum præcipue nomine hæc eſt omnis inſtituta diſputatio) Itali igitur ſi paluſtribus locis degant, victuſque rationem ſuſcipiant, & ſimilem, qua utantur ſeptentrionales illæ gentes, quibus proprius eſſe morbus iſte dicitur, dubio procul eumdem ipſi quoque contrahent. Id omnino verum eſſe apparebit in perquiſitione ſingularum cauſarum. Neque enim nunc ero longior in re clara, & evidenti, de qua etiam plura alio loco dicenda ſunt. Igitur ut ad ipſius tandem ſcorbuti cauſas veniam, moneo me de iis tantum verba facturum eſſe, quæ præcipuæ ſunt, & quaſi in conſpectum collocatæ. Nam quæ tandem cauſa lædere ſanitatem poteſt, quæ per longam ſeriem ſupervenientium cauſarum ſcorbutum inducere non poſſit? ſed hujuſmodi remotiſſimas cauſas non perſequar. Recte Celſus: *nihil omnino ob unam cauſam fieri, ſed id pro cauſa apprehendi, quod contuliſſe plurimum videtur.* Itaque de aere, cibo, potioneque, maximis iſtius morbi cauſis, loquar: tum de quiete, & exercitatione, de animi affectionibus quibuſdam, deque morbis nonnullis, ex quibus eum gigni inter omnes fere ſcriptores convenit. Poſtremo pauca addam de hærediraria diſpoſitione, & contagione.

CAPUT SEXTUM.

De aere ſcorbuti cauſa.

IGitur maris, & paludum accolas ſcorbuto imprimis obnoxios multorum obſervatione compertum eſt. Ratio requiritur. Hanc in aeris qualitate poſitam eſſe iidem credunt: neque injuria. Quis enim ignorat in variis terræ tractibus aera varium eſſe? aut hanc varietatem maxime a diverſitate effluviorum oriri, quæ, a cæteris corporibus manantia, per eum feruntur? Ac aer quidem paluſtris copioſo aquarum vapore craſſus, humiduſque efficitur. Humido autem aere perſpiratio minuitur (*a*), retentumque perſpirabile corporis humoribus acritatem inducere magnus Boerhavius docuit (*b*), poſteaque vir induſtrius Gorterius comprobavit. Neque id ſatis eſt, verum inde putredo quoque prompte naſcitur. (*c*) corporis enim humores ad alcaleſcentem indolem proniores ſunt, quo diutius ipſius corporis vires patiuntur. Perſpirationis autem materia in corpore manet longo tempore, antequam in eam ſubtilitatem veniat, ut a minutis vaſis, in ſumma cute apertis, exhalare poſſit. (*d*) Ex quo illam excrementum eſſe tertiæ coctionis Sanctorius (*e*) & Gorterus judicarunt.

(a) *Boerhav. oper. omn.* § 748.
(b) *Idem ibid.* §. 778.
(c) *De Gorter de minut. perſp. cap.* 12.
(d) *Idem ibidem cap.* 4.
(e) *Idem ibid. num.* 2.

Sed putrida corruptela oriri præcipue ſolet, ubi perſpirationis ſuppreſſio ab humido aere proficiſcitur, (*a*) magiſque, ſi aliquanto calidior eſt. Quod ſi, ut aliquando fit, corporis vitio humores in ipſius naturam minus convertuntur, imminutum ab humido aere perſpirabile, acrimoniam quidem iis affert, ſed a priore diverſam, frigidam ſcilicet, neque adeo facilem ad putredinem. Alter humidi aeris effectus, laxitas eſt, debilitaſque ſolidorum, a qua quæ poſſint oriri mala, Boerhaavius omnia diligentiſſime expoſuit (*b*). Ex his ad propoſitum faciunt hæc maxime: *Liquidi ſtagnatio -- liquidorum cruditas, ſpontanea corruptio.....facilis vaſorum diſſolutio ab internis, externiſve cauſis*. Eadem de maritimo aere dici poſſunt, quatenus humidus eſt. Quin etiam in aeris humiditate poſita eſt præcipua ratio, quamobrem qui ædifitiis habitant humilibus, iiſve ædium etiam partibus, quæ prope ſolum, vel infra id depreſſæ ſunt, in morbum iſtum tam facile incidant, maxime ſi in locis illis etiam dormiant. Quod periculum majus eſt, ſi parietes neque calce obducti ſunt, neque aſſeribus, neque pavimentum lateribus inſtructum eſt, neque frequens ignis accenditur. Jam vero paluſtris aer multas præterea particulas habet, ſive effluvia acris, & putridæ indolis. Hæc effluvia, aquæ, præſertim cum conjectis, aut innaſcentibus plantis corruptæ, emittunt; cum etiam quædam ex paluſtribus plantis acres, & venenatæ ſint. Tum etiam

(a) *Boerhav. loc. ſupracit.*
(b) *loc. jam ſupracit.*

iam multa animalia amphibia, multa inſecta, multæ minutiſſimæ beſtiolæ in paludibus, & circum has degunt, quorum cadavera, ſemina, exuviæ, excrementa corrupta putridum halitum per aera diffundunt. Quæ res cum accurate a ſummo viro Lanciſio tractata ſit iis in libris, quos de noxiis paludum effluviis conſcripſit, & ab aliis quoque, ſermonem meum non requirit. In mari quoque nativæ plantæ tabeſcentes, piſcium etiam vaſtiſſimorum, aliorumque animalium hominumque ſubmerſorum cadavera, putridas exhalationes diſpergunt, non minus, quam tot excrementorum, & ſordium genera, quæ in illo ſunt: putridæque exhalationes, iis maxime in locis abundant, in quibus aquæ minus profundæ ſunt, ut fere prope littora, quæ præterea aquis idemtidem recedentibus, copioſis putrefactis recrementis obruta remanent, ut graviſſimus odor teſtatur. Promptior putredo eſt, ſi diutius venti ſilent, ut Boyleus confirmavit, (a) caſu nautarum illorum, qui cum quatuordecim dies Indicum, & Africum mare, ſine ventis, quietiſſimum habuiſſent prope morituri ſibi videbantur, præ intolerabili aquarum fœtore, qui, vento ſuperveniente ſublatus eſt. Ex quo fit, ut etiam ex paluſtribus locis ea pejora ſint, quæ ventis minus perflantur. Atque in carceribus quoque, & noſocomiis perſæpe ſcorbutus oritur. In quibus accuſanda ſunt procul dubio putrida effluvia, quibus aer inquinatur propter anguſtias, & ſqualorem, & ſordes, ægrorumque, atque infirmorum perſpirationem. Quod ſi carceres humi-

libus,

(a) *T. 2. obſerv. d. ſalſ. mar. ſect. 1. cap. 1. 2. 3.*

libus, udiſque locis poſiti ſunt, magiſque, ſi ſolum humore ſcatet, ea quoque damna contingunt, quæ ab humido aere proficiſcuntur. Porro tot variis particulis plenus aer, corpora noſtra non ſolum externo tactu, & ſtomachum intrando afficit, ſed etiam per ſubtiliſſimos meatus, quos Boerhaavius *bibulas venas* nominavit jure, multas illarum rerum in ſanguinem compellit, quæ cum venæ per totius corporis ſuperficiem frequentiſſimæ ſint, dici non poteſt, quantam effluviorum copiam combibant. Neque illis carere pulmonum veſſiculæ videntur, ut ideo quamquam elaſticum aerem per eas in ſanguinem non ingredi omnino concedendum ſit, tamen illum in elementa diviſum, ſimulque multas exhalationum particulas minutiſſima cum eodem vaſcula ſubire, nemo ullus negare poſſit. Ex his, ut opinor, apparet, quot modis, & quam variis acritatis ſpeciebus corporis humores ab aere vitiari interdum ſoleant ad ſcorbutum concitandum. Ac de his quidem inter omnes convenit. Sed magna diſſenſio eſt, utrum aer, nimiis potiſſimum frigoribus, ſcorbutum gignat, an ad ſcorbuti originem frigora nihil pertineant. Multi enim, ii ſcilicet, qui morbum iſtum ſeptentrionalium fere tantum regionum eſſe proponunt, eum ad vim frigorum referunt: & hoc ipſo argumento utuntur, quod illic ſcotbutus frequentiſſimus occurrat. Ego ſic exiſtimo, eos, ſi aera nimis frigidum aliquid conferre ad ſcorbutum putant, probabilem rationem habere: ſi volunt non oriri ſcorbutum niſi in frigidis regionibus, errare. Nam & in Italia, ubi cælum temperatiſſimum eſt, is morbus ſatis frequens eſt, & ſub fervidiſſimo cælo, qui in orientales Indias navigant, eodem invaduntur, & præterea eumdem æſtate magis

gis vigere, & prope expulſum reverti Paupartius in Gallia obſervavit. (a) Non enim conſiderant, cum ſub ſeptentrione tantam eſſe ſcorbuti frequentiam norint, alias, præter frigora, morbi cauſas illic concurrere, ut ingentem vim paludum, vel natura, vel arte conſtructarum, vicinum mare, quod ſæpe amplos terræ tractus ſub aquis mergit, aliaque quam plura, de quibus dicendum erit. Neque tamen fas eſt, frigidiorem aera nihil agere. Nam humores certe cogit, ex quo cum ſtagnare iidem poſſint, etiam in alienam, & acrem indolem migrare poſſunt. Quid? quod frigido aere perſpiratio imminuitur, (b) Neque ideo dico, quod etiam in ſanitate minor hyeme, quam æſtate, perſpiratio non ſit; ſed quod frigidus aer, ex levi quacumque occaſione, eam turbare conſueverit. Quod quemadmodum humorum indolem pervertat, eoſque in acrimoniam deducat ſupradictum eſt. Cum igitur ipſe per ſe humidus aer id ipſum præſtet, quid fiet, ſi frigidus ſimul ſit? Nemo autem ignorat, frigidi, humidique aeris noxas graviores futuras, ubi ei aperte aliquis matutinis, aut veſpertinis horis ſeſe committit, magiſque, ſi noctu, & multo magis, ſi ſub dio etiam ſomnum capit. Cum hæc frigidi aeris vis ſit, non ea minor eſt, quam calidus ad ſcorbutum habet: adeo falſum eſt, ſub frigido tantum morbum iſtum gigni. Itaque nimii calores tenues corporis humores auferunt, craſſos magis compingunt, ſales oleaque in ſummum acri-

---

(a) *Memoir. de l' Academ. des ſcienc. ann.* 1699.
(b) *De Gorter. de inſenſ. perſpir. aphor.* 147.

acrimoniæ gradum efferunt, ex quibus proxima eſt ad putredinem diſpoſitio. Ideoque ab his ſi qua alia præcipue cauſa accedit, morbus iſte fovetur. Ob quam cauſam eorum, qui in Africam, & orientales Indias navigant, ſcorbutus adeo facilis eſt ad putredinem: non item eorum, qui extremi ſeptentrionis oras petunt. Deinde effluvia illa, quibus paluſtrem, maritimumque aera inquinari ſupra dixi, calore magis acria, putridioraque evehuntur. Notumque eſt, æſtate paludes peſſimum odorem diffundere, qui hyeme vix unquam ſentitur. Quod ſi quis dicat, calidiſſimis tamen regionibus ſcorbutum ignotum eſſe, is me, adeoque viros plures perſpicaſſimos, veritatemque ipſam aſſentientem non inveniet. Cujus meæ diſſenſionis ratio alio loco apparebit. Interea in illis regionibus hic morbus fortaſse infrequentior eſt, quod non admodum pertinaciter negabo. Id vero fit, quod in iis multæ ejus cauſæ deſint, aut certe raro occurrunt. Mihi vero ſatis eſt, demonſtraſse, calidum aera ſcorbutum non arcere: ut ſi concedatur, latius in ſeptentrione illum graſsari, conſtet, id non tam propter vim climatis, ſed aliis contingere de cauſis, quod ex ſequentibus magis conſpicuum fiet.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De cibo ſcorbuti cauſa.

MUlta autem ſunt ciborum genera, quæ ſcorbutum inducere conſueverunt. Primum nimius uſus carnium fumo exſiccatarum, vel præcipue ſale conditarum: quæ cum difficulter concoquantur, craſſos, & pingues humores gignunt, quibus attenuandis vaſorum robur impar eſt. Præterea in ſanguinem vehitur maritimi ſalis, aut vegetabilis a fumo ſuſcepti copia, quæ illi irretita vi vitæ extricari non poteſt, neque cum urina excerni. Itaque non modo craſſities corporis humoribus infertur, ſed etiam acritudo. Quod ſi carnes illæ ſimul pingues ſint, ut multa eduliorum genera, quæ ex ſuilla carne conficiuntur, & imprimis laridum, quod crudum aliquæ nationes aſſumunt, aliæ eodem ad ciborum condimentum liberaliter utuntur: tum vero non poteſt oleum acre, & pene rancidum, in humoribus non abundare. Sal enim putredinem arcet, ranciditatem non ita. Fere eadem dici poſſunt de piſcibus, ſive ſale conditis, ſive fumo, aut vento exſiccatis, omnibusque ſalſamentis. Hæc omnia multo deteriora ſunt, ubi aromata accedunt, quorum nunc uſus eſt longe ampliſſimus. Itaque & in carnium earum, quæ reponuntur, in ſicciorumque præparatione cum ſale mixta aromata adhibentur, & in recentium conditione, aliiſque eſcis. Notum eſt autem quam acri, & exurente oleo polleant aromata: cujus effectus eſt, vehemens, & longum ſolidorum irritamentum, a quo fluidorum denſitas, & acritas oritur. Ergo

ſi Junchero fides habenda eſt, etiam in Germania (a) ſcorbutus frequentior extitit, a quo libralius in communem uſum venire aromata cœperunt. Ad ciborum conditionem oleum quoque ex olivis, butyrumque pertinet, quæ igne peracria fiunt, cum tamen nihil frequentius ſit, quam eadem frixa aſſumere. Hæc quantumvis ad ſcorbutum gignendum conferant; tamen multo plus caſeus confert, ut Boerhaavius teſtatur; is enim ſi recens eſt, nocet craſſitie, & glutine, & maritimo ſale, quo fere reſpergitur; ubi vetuſtas accedit, vehementior fit, & ſumma acritate lædit, quæ prope alcalina eſt. Intereſt autem priuſne butyrum ex lacte educatur, an caſeus cum ipſa butyracea parte efformetur. Hic acrior ætate fit, ille glutinoſior. Peſſima vero eſt hujuſmodi acrimonia, quia cum ſumma viſciditate, ac tenacitate conjuncta eſt. Quod cum de omnibus pinguibus cum acritate, tum præcipue de caſeo verum eſt. Propterea longa obſervatione compertum eſt, imprimis ex largo, & diuturno ejus uſu ſcorbutum prompte oriri, & qui hoc jam laborant, protinus pejus ſe habere, ubi caſeum aſſumunt. (b) Quidam etiam carnes per ſe ſcorbutum facere putant, ſi quis diutius iis veſcatur ſic, ut omne genus recentis vegetabilis removeatur. Neque negari poteſt, interdum poſt ejuſmodi caſum ſcorbutum, eumque peſſimum ſequi. Hactenus igitur illorum ſententia probabilis eſt, utileſque ſunt obſervationes viri ingenio, doctrinaque præſtantiſſimi

An-

(a) *Tab. 92. d. Scorc. pag. 381.*

(b) *Vaſvviet. loc. ſupracit. pag. 290.*

Antonii Cochi, (*a*) cujus perſpicacia jamdudum detexerat, pertinaci iſta abſtinentia, quoſdam ſe in hunc morbum præcipitaſſe. Quod vero ille Bachſtromium (*b*) ſequutus, cæteras cauſas rejecerit, unamque illam abſtinentiam pro vera ſcorbuti cauſa poſuerit: id non ita ab omnibus probabitur. Recte igitur, ut ſolet, ſapienterque fecit Suvietenus, qui illius cauſæ conſiderationem propoſuit utique, ſed aliarum æſtimationem non omiſit. Sed in re controverſa dicam ipſe quoque, quæ mihi veri maxime ſimilia videantur. Nam qui abſtinentiam ab omni genere recentium vegetabilium veram ſcorbuti cauſam eſse contendunt, ipſi concedant, neceſse eſt, abſtinentiam quidem, quæ eſt tantum privatio, ut loqui amant, nihil efficere per ſe poſse. Sed vis corporis viventis, quæ ipſum conſumit, ea præſtat, quæ inter inediæ effectus numerantur. Quoniam vero corpori ea, quæ per vim vitæ decedunt, cibis reſtituuntur, fingimus autem corpus nondum a ſanitate receſſiſse, ſi quid poſtea mali ei a cibis advenit, id propterea fieri, non quod a quibuſdam abſtineatur, ſed quod minus idoneos aſsumat, perſpicuum eſt. Reſtat igitur, ut in ſcorbuto quoque culpa in cibos eos rejiciatur, quibus aliquis utitur, remotis recentibus vegetabilibus. Ac de leguminibus quidem, farinoſiſque quibuſdam ſeminibus ſiccis, pultibuſque, & placentis, quæ ex his conficiuntur, inter omnes convenit, ea ad ſcorbuti ortum conferre: de carnibus non item. Duras enim

 fumo

(a) *Libell. de Victu Pithag.*
(b) *Obſerv. Medic. circ. ſcorb.*

fumo, atque ad ventos induratas, ſalſas, aromatibuſque conditas ſi accuſant, facilem aſſenſum invenient, idque ipſe modo expoſui: ſi in recentibus, teneriſque carnibus eamdem noxam eſſe volunt, res non ita, ut putant, obſervationibus iis, quas afferre ſolent, evidens fit. Narrant enim, eos ſcorbuto affici, qui longum iter mari faciunt: & ideo diutius carere recenti vegetabili coguntur. Quæ penuria ſolet etiam in urbibus obſeſſis eſſe, ut incidit in obſidione Thuronenſi, cum incolis morbo iſto conſumptis, etiam aliquot millia militum eorum, qui erant ad Urbis præſidium extincti ſunt. Interea immunis fuit ab hoc caſu obſidentium Svecorum exercitus, qui oleribus abundabat. Dicunt etiam plura ſe ejuſmodi exempla afferre poſſe, niſi eſſet ſupervacuum. Nam eadem ratione exercitum Cæſarianum, hybernis receptum, prope Temeſvvarium, ſcorbutus depopulatus eſt, gregarios fere ſolum milites aggrediens. Magna enim erat recentis vegetabilis inopia, eoque major, quo quiſque pauperior. Quæ ubi, veris adventu, ſublata eſt, morbus quoque ceſſavit. Hæc, & quæ ſunt hujuſmodi, quomodo potius abſtinentiam a recentibus vegetabilibus, quam quidquam aliud in cauſam ſcorbuti fuiſſe oſtendant, non video. Navigatores enim illos cum carnibus ſalſis, fumoque exiccatis caſeo, ſiccis leguminibus, ſimilibuſque cibis veſcuntur, non mirum eſt facile in eum morbum labi, quem vitarent etiam ſine recenti vegetabili, ſi in cibum aſſumere recentes, teneraſque carnes poſsent. Quod ita ſe habere Navarchi illi teſtantur, qui in navibus ſues, oves, gallinas, alicurant, quarum recentibus carnibus ipſi utantur. Hi enim, ut plurimum, bene habent, cum nautas, quibus ejuſmodi carnes deficiunt, ſcorbutus cito invadat.

dat. Accedit, quod ex iis, qui tempeſtate pulſi, aut mercede ducti in extremis ſeptentrionis oris hybernarunt, alii ſolum carnibus ſalſis uſi omnes iſto morbo perierint, alii, qui venatione recentes carnes cervorum, vulpium, urſorum ſibi comparaverint, ſuperſtites fuerint: (*a*) quamquam ii, æque ac illi, recenti vegetabili caruerint. Ergo etiam in obſeſſis ſeptentrionis urbibus, quia ſalſis carnibus, caſeo, &c. utuntur, ſcorbutus adeo frequens eſt. Cujus metu permoti cives, cauſaque explorata, ſolebant, antiquis quoque temporibus in diuturna obſidione paſcua in tectis domorum parare, pecudibus hoſtium abductis, quorum recenti carne alerentur. Noverant enim ſic præcaveri ſcorbutum poſse. Quid, quod obſeſsos cum longa triſtitia, timor, multaque alia male habere ſolent, (*b*) tum præcipue inædia ob neceſsariorum defectum ſic, ut aſsumere etiam cibum inutilem debeant? Idem de Cæſariano exercitu judicandum eſt: præcipue ob craſſiores, & malos cibos in ſcorbutum incidiſse. Notum eſt enim, quæ ſit militibus fere propria victus ratio. Quod malum tribunos, centuriones, & ditiorem quemque non fatigavit, non tam quod aliquid recentis vegetabilis, quamquam carioris, ſibi comparare potuerint, quam quod noxiis illis cibis ſummotis, melioribus uterentur. Jam vero vaſtitatem paludum, quæ prope Temeſvvarium ſunt, num ad eum morbum nihil contuliſſe putandum eſt? Ego vero etiam multum adieciſſe puto. Præfecti autem, & ab his longius removentur, & aeri non temere ſeſe

---

(a) *Hodendaaſche Hiſtorie de door Salmon 7. deesl ſeſde ſtukie pagina 869. &c.*

(b) *Anſons Voyage round the VVorld. &c. pag. 143.*

ſeſe obbjiciunt, maximeque noctu. Otium etiam, in quod a ſummis laboribus milites hyeme deducuntur, non parum fecit od morbum ſuſcitandum, præſertim cum hyems eo anno longior fuerit. Laboreſque iterum, vere ſuſcepti, videntur inter cauſas fuiſſe, quam obrem morbus ceſſaverit. Quamquam facile concedo, copiam verno tempore recentium vegetabilium, magnopere profuiſſe; ita tamen, ut ſibi alii ex carne quoque recenti, teneraque, juſculis &c. auxilio ſine vegetabilibus futuri fuiſſent. Nam quod recentibus iſtis præſentem morbum curari dicunt, id ita verum eſt, ut tamen nihilo magis illorum ſententiam confirmet. Etenim lac quoque, & ſine hoc ova ſorbilia, recentes, teneræque carnes, juſcula &c. his ſatis auxilii afferunt. Et cum conſtat in abſtinentia a recenti vegetabili eam valetudinem ſatis præcaveri, modo acrium durorumque illa genera ciborum vitentur, ſi quis hæc aſſumens, morbum ſibi arceſſit: is quo tandem, cumque modo ſanetur, non valde ad propoſitum noſtrum referre arbitror. Ut qui ex lactis potu in dejectionem incidit, quam ſuppreſſit vini auſteri potus, is non ob abſtinentiam a vino, ſed ab uſum lactis laboraſe dicitur: ita non quod a recentibus vegetabilibus abſtinuerit, ſed quod duros, craſſos, & acres cibos aſumſerit, eum ſcorbuto occupatum fuiſſe, recte dicemus: qui reſtitui per cibos prioris generis poteſt. Quod ſi contendunt, quoniam recentibus vegetabilibus curari morbus potuit, vitari quoque eorum uſu in caſibus narratis, & in aliis potuiſſe, id ubi conceſſero, ipſi mihi concedant neceſſe eſt, vitari non minus potuiſſe, ſi pullorum cohortalium, vitulorum, aliorumque animalium recentes. tenæræque carnes ita præſto illis fuiſſent, ut ſalſis, ca-

ſeo

ſeo, leguminibus ſiccis, & hujuſmodi rebus abſtinere potuiſſent. Quamquam illud conſiderationem meretur, varia eſſe ſcorbuti genera, ut eadem cibi ratione non omnia præcaveri poſſint. Neque ignoro etiam vegetabilium plures ſpecies eſſe variis iſtius morbi ſpeciebus accommodatas. Sed cum affirmant, morbum oriri ex abſtinentia a recentibus vegetabilibus, non vident, qui corpore debili, ſtomachoque languente, in otio, & quiete olera quædam, & fructus horarios continenter aſſumpſerit, quorum indoles aceſcens, aut acida ſit, eum acida acrimonia laboraturum, ex qua ad acidum ſcorbutum aditus patet. Certumque eſt, acidum hujus morbi genus, gigni, niſi a vegetabilibus ingeſtis, non poſſe: lacte tantum ex omnibus animalium partibus aliquid ad id conferente. Neque diffiteor, acidum ſcorbutum fere ſemper ex ſiccis leguminibus, farinoſis, non fermentatis, generiſque durioris, vinis dulcibus, craſſiſque cereviſiis, lacte ebutyrato acido ortum trahere, tamen ipſa interdum recentia vegetabilia, quæ aut acida ſunt, aut in acidam naturam vergunt, multum quoque conferre poſſunt, ac ſaltem morbum fovere. Carnes autem quoniam in alcalinam putredinem ſponte vergunt, in illo, qui iis etiam optimis, & recentibus ſic veſcatur, ut diutius recentibus, aceſcentibuſque vegetabilibus cavere velit, ſcorbutum utique concitabunt, ſi corpus calidum, & ſiccum, vel calidum, & humidum ad illam acrimoniæ ſpeciem inclinat, magiſque, ſi aliæ quoque cauſæ accedant. Quod periculum eo gravius, & citius inſtat, quo magis carnes, quæ aſſumuntur, ad alcalinam vergunt naturam, cujuſmodi ſunt quorumdam animalium, quæ inſectis, aliiſque animalibus veſcuntur,

ut pi-

ut piſces præſertim majores, qui etiam viroſiores ſunt, aves quædam imprimiſque aquatiles, quæ piſces devorant, magis etiam aſſæ, quam elixæ carnes ad alcali accedunt, tum quæ ſale non bene conditæ diu ſerventur, maxime ſub calidiori Cęlo: eę quoque, quæ quamquam recentes, non prius in cibum adhibeutur, quam leviora putredinis exhibeant indicia, quæ cum ita ſapidiores fiant, tales a quibuſdam gentibus expetuntur. Ac ſi cum his carnibus etiam quædam vegetabilium genera aſſumantur, quæ alcaleſcentia nominantur, adeo non vitabitur morbus, ut etiam incitetur. Interea manifeſtum eſt, per aceſcentia vegetabilia illum præcaveri potuiſse, eidemque curationem maxime per illa adhiberi oportere. Itaque ut omnia paucis complectar, ſcorbutum puto interdum longam a recentibus vegetabilibus abſtinentiam ſequi, & hanc cauſam propriam habere. Non quod vegetabilium defectus morbum faciat, cum ſit privatio, ut dixi, quæ nihil præſtare poteſt, ſed quod corpus ob eum defectum ex aliis ciborum generibus in ſe tales humores conficiat, quibus quædam hujus morbi ſpecies oriantur. Sæpius tamen in eadem abſtinentia, non ex hac cauſa morbus fit, ſed ex eo cibi genere, quod fere neceſſitate aliqua aſsumitur, quodque non quod non eſt vegetabile, eam noxam affert, ſed quod craſsum, durum, acre, ineptumque eſt. In quo caſu apparet etiam ſine vegetabilibus morbum per cibos melioris alimenti vitari poſse. Quin etiam illud ſcorbuti genus, quod acidum nominare propoſui ex uſu recentium vegetabilium, quæ acida ſint, vel aceſcentia ſi non inducitur, certe fovetur: adeo ſcorbuti cauſa non ſemper poſita eſt in abſtinentia ab iiſdem. Nec quicquam

eſset

eſſet iniquius in caſibus quos ſupra retuli, quam conſiderare unam cauſam, cæteras negligere, præſertim quia ſæpe ſine illa hic morbus oritur. Ex his intelligi poteſt, aceſcentia vegetabilia, vel acida, vel proxima, ut talia fermentatione fiant, interdum ſcorbutum facere, ubi in corpus incidunt, quod ea commutare ſuis viribus non poteſt. Ad hoc genus maxime pertinent legumina, & ſemina farinoſa, ex quibus pultes, paſtæ, placentæque fiunt, quæ ubi a languente ſtomacho non ſubiguntur humido tepore fotæ, acidam acrimoniam ſuſcipiunt, magiſque, ſi antea earum craſſities fermentatione non eſt aliquantum attenuata. De pane ſecalino, etſi fermentato notum eſt, ſi a debili homine aſſumitur, quanta illum ſtomachi moleſtia cum acidis ructibus afficiat. Idem de leguminibus, faba, piſo, cicere, lenticula &c. dicendum eſt. Lac quoque, quod adhuc plurimum de natura vegetabilium retinet, huc referre oportet. Id enim ſi certo caloris gradu, quem digeſtionem vocant, fovetur acidum fit. Quod in iis contingit, qui ubi lac aſumpſerunt, pondus in ſtomacho ſentiunt, & acidum eructant. Lactis vero noxa major, & evidentior eſt, ubi quis eo jam ebutyrato, acidoque utitur. In primis autem ex vegetabilibus quædam acido--auſtera, ut meſpila, pomaque omnia acerba, in cauſam ſcorbuti veniunt. Quæ cum ita ſint, plura ciborum genera ad varias iſtius morbi ſpecies conferre manifeſtum eſt. Sed alia ſunt, quæ fere omnibus, alia quæ ſolum quibuſdam nocent. Nam ſalſarum carnium, caſeique aſſiduus uſus quemque in eum morbum trahere poteſt, recentium vero carnium alios poteſt, alios non poteſt: quarum ideo rerum non tam uſus improbatur, quam modus,

delectuſque requiritur, maxime cum quæ aliis noxia, ea aliis ſalutaria ſint. Ut qui in ſcorbutum pronus, ſtomacho, totoque corpore debili, in otio, & longo ſomno, atque in aere humido, frigidoque, acetariis, ſubacidis fructibus, ſeminibus farinoſis, & lacte, vel ſponte, vel neceſſitate aliqua utitur, ei morbus per hæc infertur, quæ illum ab alio prohibuiſſent, qui corpore valido in laboribus, aereque ſicco, & calido, carnibus aromatibuſque immodice uſus, in eum delapſus eſt. Reſtat ut de fame dicam, quæ propter annonæ caritatem interdum contingit, multoſque in ſcorbutum compellit. Quod eo libentius faciam, quia video ab aliis id fere preteriri. Igitur in ejuſmodi caſu duæ res ſunt, quæ ad morbum iſtum faciunt. Altera eſt ipſa inedia, altera inutilium ciborum uſus, qui eam ſequitur neceſſario. Et inedia quidem, quæ eſt ciborum defectus, per ſe nihil poteſt efficere, ut de abſtinentia a recentibus vegetabilibus propoſui, ſed effectum corporis viventis, ſeipſum deſtruentis, ubi idemtidem cibo non alitur, ad inediam referunt. Quam ſumma acritas humorum, cum vaſorum conſumptione, poſtea putrefactio ſubſequitur; hæcque citius oriuntur, quo major eſt ciborum defectus, magiſque, ſi non ſolum a cibo, ſed a potione quoque abſtinentia eſt. Quo in caſu mors celeriter ſupervenit. Sed qui fame torquentur, inutiles cibos aſſumunt, ut moleſtia liberentur, vitam interea ſuſtineant de duris, ligneiſque radicibus, corio madefacto, aliiſque ejuſmodi conſtat in obſeſſis urbibus multis pro cibo fuiſſe. Ex quibus nihil blandi, nihil idonei ſucci parari poteſt, ſed craſſum ineptumque eſt quidquid inde conficitur. Ut ideo majoris, vel minoris inediæ

diæ effectibus, earum rerum aſsumptarum effectus in productionem ſcorbuti aſsocientur, hujus rei exempla proferri poſsunt, & obſeſsarum Urbium, in quibus hæc ſcorbuti ſævientis fuiſse cauſa videtur, & illud Dodonæi, (a) qui, orta fame, in Brabantia anno 1556. eum morbum ſemet extuliſse prodidit, ob uſum corrupti ſecalis ex Boruſſia advecti, & alia non pauca: ſed ero contentus uno, quod & apud nos fuit, & recenti memoria, de quo me certiorem fecit Leonardus Targa, olim diſcipulus meus, nunc Profeſsor. ſummi ſtudii, optimi ingenii, plenæ doctrinæ, ac omnis diligentiæ in obſervando. Is enim anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo, ruſticos permultos affectos ſcorbuto vidit Coloniolæ, Latiis, Latiorum cellulis, ac Tremniaci, Oppidis in agro Veronenſi, aliis decem, aliis pluribus lapidibus ab Urbe ſub Alpibus inter Orientem, & Septentrionem....Loca illa ſalubria a paludibus diſſita, tenui, puroque cælo gaudent. Cum autem ſumma fuerit ſub finem ſuperioris, & initio illius anni annonæ caritas, plures ex ruſticis miſero cibo miſeriorem vitam traxerunt. Nam raro polenta ex farina frumenti Turcici, eaque ſine ſale, iis pro cibo erat: ſed interdum paucis leguminibus, ſæpius duris herbarum radicibus, & groſſis, ubi ſuppeditaſsent, in aqua coctis, inutilibuſque, & inaſsuetis ejuſmodi cibis ſuſtentabantur, atque etiam integros dies ſine ullo cibo miſere conterebant. Hyeme igitur, ac vere anni illius, morbus ortus eſt, ex

(a) *Exempl. medic. obſervat. cap. 33. d. Scorb.*

quo laſſitudo, & membrorum, quaſi ex labore, fatigatio, maculæque varii coloris in ſumma cute oriebantur; os & ſpiritus male olebat, gingivæ tumidæ, cruentæ, exeſæ, marceſcentes erant, dentes lababant, & alicui excidebant interdum omnes, quoque ſaliva acris effluebat. Genua cruraque vago dolore torquebantur, cum quodam torpore: poſt quem levior fiebat nervorum reſolutio. Interdum autem is dolor maxime urgebat, vel ubi pedes terræ inſiſtebant, non ſi ſe lecto æger continebat, vel ubi crura extendebantur: interdum hæc membra ita rigida erant, ut complicari non poſsent. Inter hæc, arteriarum pulſus exigui imbecilleſque erant. Ac multo plures fœminas, quam viros, laboraſse inventum eſt. Æſtate vero, cum meſſis abundantia famem, atque inopiam pepuliſset, malum ceſsavit ſic, ut plerique etiam ſine medicamentis ſanati ſint.

CAPUT OCTAVUM.

De aqua Scorbuti cauſa.

EX potionibus autem aqua ad ſcorbutum confert ea, quæ in navigatione ſub cælo calidiori corrumpitur, & putreſcit, qua tamen uti nautæ coguntur. Cujus putridæ particulæ inter corporis humores receptæ illos in ſimilem corruptionem deducent. De aquis vero paluſtribus, & maritimis, quæ in longa tempeſtate, aut in alicujus civitatis obſidione, aut alia quacumque neceſſitate bibuntur, quam variis principiis aptis ad ſcorbutum gignendum refertæ ſint, ſupradictum eſt. Quæ ſi vaporibus ſuis hunc morbum faciunt, quantum magis in potum aſſumptæ, faciant neceſſe eſt? Itaque ex his altera quoque ratio habetur, quamobrem in longis navigationibus, diuturniſque obſidionibus interdum ſcorbutus oriatur, & permultos occupet, fereque egentiores: ut vis abſtinentiæ a recentibus vegetabilibus, ideo quoque minus accuſari debeat. Vinum autem in univerſum omne, quod immodice bibitur, ob vim qua pollet, corporis liquida coagulandi, huc refertur. Qualitate vero imprimis ad ſcorbutum facit, quod craſſum minuſque fermentatum eſt, quo ſpectat etiam dulce, itemque craſſæ, & non ſatis fermentatæ cereviſiæ. Etenim non ſolum craſſitie, quod craſſos, viſcidoſque humores ex his ſibi corpus conficiat, ſed etiam acrimonia nocent, quod acore ſuſcepto, eum humoribus communicent. Is autem acor cum omnibus cereviſiis facile ſupervenit, in cujus præſervatione iiſdem amaras herbas adjiciunt, tum iis præcipue, in quibus

non fuit perfecta fermentatio. Deinde id quoque vini genus, quod acidi multum habet, & tartaro, ut vocant, abundat, inter morbi iſtius cauſas ponitur, quod magnam afferat humoribus acritatem. Ac jampridem obſervarunt, hujuſmodi vinum tales utique morbos facere, in quibus acritas præcipue urgeat. Quæ autem de inedia ſuperiori capite dicta ſunt, ea ad potionis quoque defectum pertinent. Sive enim, meliori potione deficiente, paluſtris, vel marina, vel alia aqua jam putrefacta bibatur, in hoc quæ pericula ſint, modo expoſui: ſive illa reſpuatur, ſitiſque toleretur, non minora mala ſubſequuntur. Nam ut habet Swietenius. *Ex ſiti peſſima diſpoſitio humorum naſcitur, dum nec ſatis diluitur craſſum, nec ſudori, & urinæ ſubminiſtratur vehiculum ſufficiens, ut per has vias acria de ſanguine elui poſſint.* Hoc malum majus fit ſub cælo calidiori, cum, & plus tenuiſſimi liquidi e corpore expiret, & citius in putredinem humores vergant: ut in nautis contingit, quibus aqua ſub Æquatore corrumpitur, ſitimque pluribus diebus ferre cogitur quicumque ab ea putreſcente refugit. Ergo etiam inediæ effectus pejores eſse dixi, ubi cum cibis potio quoque deficit. Famiſque facilius toleratur ſolius aquæ potione. Jam vero inter ſcorbuti cauſas coffee potio, ſi immodica eſt, referri debet, quod jampridem feci in eo libro, quem ſcripſi de illius uſu, abuſuque, in quo plura, quæ ad hoc potionis genus pertinent, reperiri poſsunt. Hofmanus certe purpuream febrem, quam ſcorbuti ſobolem vocavit, ex potionis iſtius nimio uſu invaluiſse contendit. (a) Ego cum quoſdam, qui coffei copioſe ſorbuiſ-

(a) *Cap. 3. de purpur. ſcorb. ſobol.*

buiſsent, a cæteris autem rebus, quæ eſse in cauſam ſcorbuti ſolent ſatis ſibi temperaſsent, tamen in hunc morbum incidiſse cognoverim, non potui potionem illam non accuſare, quod alias laudatus Hofmanus fecit (*b*). Enim vero acri oleo empyreumatico, fixoque ſale, ad alcalinam naturam accedente, cum illa refertiſſima ſit, corporis humoribus acrimoniam ab eodem inferri manifeſtum eſt. Ejuſmodi acrimoniam inde naſci Geoffrojus quoque vidit. (*c*) Neque dubitandum quin ex hac ſcorbutus oriri poſſit. Quin etiam cum hypocondriacam affectionem abuſu coffee induci idem auctor prodiderit, quod quotidiana experientia teſtatur, alia via aperta eſt, per quam ad ſcorbutum brevi venitur. Hypocondriacam enim affectionem ſæpe in hunc morbum migrare certum eſt, quod in ſequentibus proponam. Quamquam non ignoro, quid contra opinionem hanc a nonnullis dici poſſit, quibus etiam, ut opinor, in eodem libello ſatisfactum eſt. Dicunt enim Orientis populos, ut Turcas, ſcorbuto minime affici, cum toto die coffee ſorbillent. His ego reſpondere poſſem, me ea tradere, quæ & apud nos ipſe viderim, & apud alias gentes contingere alii, iique graves auctores ſcripſerint, nec mihi quærendum eſſe, Turcæ, genteſque illæ, quæ potione iſta adeo liberaliter utuntur, quid ex ea mali accipiant, præſertim quia in morbos earum gentium inquirere mihi ipſi non liceat. Sed tamen ſubjiciam ſcor-

(b) *Idem cap. 1. d. reſol. nerv. obſervat. 5. Epicr. 7.*
(c) *T. 1. mater. med. p. 2. d. veget. exopt.*

ſcorbutum apud illas non inveniri, id me neque credere, neque cauſam eſſe, quamobrem credam. Neque enim idoneos Auctores, quantum novi habemus, qui cum iis in regionibus medicinam fecerint, illud affirmat: neque Bachſtronium, aut Cochium puto ſine luculenta ratione ſcripſiſſe *ubique terrarum, & locorum* morbum iſtum inveniri. Quod ſi qua pridem litteris mandata ſunt, quæ ad id aliquo modo pertinere videantur, ea faciunt potius, ut ſuſpicemur non inſuetum illis regionibus ſcorbutum eſſe. De qua re poſtea videbo. Quod ſi mitiorem eum, & infrequentiorem illic exiſtere contendunt, etiam cogitent, alias cauſas deeſſe, quæ morbum concitare ſolent. Maximeque illud conſiderandum eſt, Turcas & Religione a vino prohiberi, ideoque pleroſque ex iis nihil ejus aut modice bibere (niſi quod noſtra ætate multum eos ab abſtinentia iſta receſſiſse fertur,) & minus carnibus, maxime ſalſis, magis oleribus, pomis, lacte uti. Quæ victus ratio non ſolum noxis copioſæ coffee potionis occurrit, ſed etiam a ſcorbuto eos aliquanto magis tuetur.

CAPUT NONUM.

De quiete, & otio Scorbuti cauſa.

At quies & otium quantam vim habeant ad ſcorbutum gignendum, multis obſervationibus compertum eſt. Nam etiam iis in locis, in quibus maxime frequens is morbus eſt, tamen illos maxime adoritur, qui artes profitentur, quæ toto die quietem præſtant, ut ſartores, textores, &c. Nautæque ſatis ſunt a morbo iſto immunes, dum tempeſtas eorum labores requirit, non item ubi otium ſecundum mare concedit. Ob hoc labores etiam ſupervacuos periti navarchi illis præcipiunt, ut periculum, quantum poſſint, effugiant. Præterea in quibuſdam morbis longis, ubi ægri ſe lecto diu continent, non raro illos ſcorbutus invadit: non quod morbum illorum vis ſit in ejus cauſa, ſed quod exercitationem, laboremque impediendo, quietem, & otium in cauſam deducat. Caſus cujuſdam ſenis id oſtendit, ut alii plures, qui ſunt apud Auctores. Sed malo novum proferre, quem nuper vidit, & mihi peſcripſit prælaudatus Leonardus Targa. Seni igitur ſaniſſimo, cum cecidiſſet, dextri femoris oſſis cervix fracta eſt, oſque latum in partem interiorem, quod ex ſignis colligi potuit; ſtatimque dolor ortus eſt in eadem parte, ut ne medici quidem tactum tolerare molliſſimus homo poſset. Itaque ſine auxilio decem menſibus ſe lecto ita continuit, ut læſum latus nec movere auſus, nec tangi paſſus ſit. Inter hæc optimis, ſatiſque copioſis cibis alebatur. At quinto jam menſe maculæ in ſumma cute, oris fœtor, gingivarum putredo, &

vagi artuum dolores cœperunt; quæ omnia, non adhibita curatione, tempore aucta ſunt, hiſque alia ſcorbuto mala acceſſerunt ſic, ut ad decimum menſem putridiſſima febris cum alvi fluxu hominem ſuſtulerit. Accedit locuples argumentum ex iis, quæ vir clariſſimus Gallius Bononienſis ad me ſcripſit litteris: inter illos, quos ſcorbuto obnoxios ſignificavit, eos promptius graviuſque affectos eſſe, qui otio fuerint addictiores, quique maximam diei partem in lecto, veſtibus in totum veluti abditi, jacuerint. Addamus hoc quoque ex iis, qui in extremis Septentrionis oris hybernarunt, alios ad ignem totis diebus ſedentes poſtea rigidis articulis ſic, ut ex lecto ſurgere non potuerint, ex ſcorbuto periiſſe, alios venatione evaſiſſe non ſolum uſu recentis carnis, ſed ipſa exercitatione, & labore. Ergo etiam ſcorbuti, qui milites illos in hyberna ad Temeſvvarium deductos infeſtavit, cauſa eſſe, ut dixi, inſuetum otium potuit, cum aliis cauſis conjunctum. Neque evidentem aliam rationem reperit, quem modo nominavi, Leonardus Targa, quamobrem multo plures fœminæ, quam viri, hoc morbo laboraverint in eo caſu, quem ſupra expoſui, niſi quod hi exercitationem aliquam haberent, illæ intra domum conquieſcerent. Effectus autem nimiæ quietis, & otii ſunt imprimis imminuta humorum velocitas, majorque eorum concretio, & craſſities (a). Ceſſante enim muſculorum actione, qua illi per venas fortius propelluntur, illorumque particulæ diſſolvuntur, conteruntur que, hæc ipſa

(a) *Boerhaav. Inſtit. med.* §. 769.

ipſa concretio, craſſitieſque fit, ex qua cruditas (b) lentor, & ſtagnatio oritur, tum acritas, & putredo ſubſequitur. Et quamquam putredo tardius ex nimia quiete gignatur, quam ex nimia exercitatione; tamen certum eſt, corporis humores, & nimis motos, & nimis ſtagnantes, putredinem contrahere. Hæc juvatur calida corporis natura, aere calido, ciboque alcaleſcentis ingenii. Contra, eam retardat corpus frigidum, frigidus aer, magiſque, ſi ſiccus eſt, cibus acidus, aut acido propior. Ex qua diverſitate corporis, & cibi, oritur etiam diverſa acritatis ſpecies ſic, ut in priori caſu hæc ad alcalinam naturam, in altero ad acidam accedat. Sed hæc alio loco exequar. Quæ de nimia quiete dicta ſunt, dici etiam de ſomno nimis longo poſſunt. Nam in ſomno quies eſt eo major, qua magis ſomnus placidus profunduſque eſt. Ita humorum tarditas, craſſities, (c) ſtagnatio, acritas eodem modo oritur. Sed præterea conſiderandum eſt, poſt longum ſomnum caput gravari, & ſenſus, motuſque voluntarios langueſcere, (d) ut appareat, minui fluxum ſpirituum animalium in nervos. Ex quo efficitur vim vaſorum in humores contentos minorem eſſe, ideoque propoſita mala ob hanc cauſam graviora fieri. Atque vitalem quoque motum in ſomno imminui diligentiori obſervatione comprobatum eſt (e) Ex quibus diſci poteſt, ſomni nimis longi effectus,

---

(b) *De Gorter. medic. ſyſtem.* §. 246.
(c) *De Gorter d. minut. perſpirat. cap.* 21. *n.* 22.
(d) *Idem ibid. aphor.* 357.
( ) *Idem exercit. med.* 2. *de ſomn. & vigil.*

& a quiete, quæ in eo eſt, & a languidiori vi motus vitalis, repeti debere. Quidam etiam nimios labores, exercitationeſque ad ſcorbutum conferre exiſtimant; in quibus tamen ſi qua eſt, longe remiſſiorem, quam in otio, & quiete, vim eſſe fatendum eſt: utut ſpirituum animalium conſumptione, tenuiorum liquidorum expulſione, omniumque corporis humorum valida, aſſiduaque attritione, craſſitiem, acritatemque concitare poſſint: & præſertim, ut notat Hofmanus, lædant, ſi ſecundum cibum inſtituantur. Eademque ferme ratione nimiæ vigiliæ, lucubrationeſque nocere poſſunt.

CAPUT DECIMUM.

De animi pathematibus ſcorbuti cauſa.

Ex animi affectibus, ut alii quoque interdum ad id faciunt, maxime tamen triſtitia, & timor inter cauſam ſcorbuti poni ab omnibus ſolent. De his igitur dicendum eſt. Ac triſtitia quidem, qua, ut a medicis accipitur, varii, & multiplices affectus continentur, angor, luctus, mœror, ſollicitudo &c. Triſtitia inquam eſt ægritudo ex opinione mali præſentis: opinionem impendentis mali vocant timorem. Sed triſtitia, & timor, in cauſam ſcorbuti fere veniunt, ubi longo tempore perſiſtunt, ut de melancolia ab Hippocrate primum, deinde a Celſo proditum eſt: at ſi longa triſtitia, cum longo timore, & vigilia eſt, atræbilis morbus ſubeſt Triſtitiæ autem, & timoris effectus ſunt fere iidem

dem. Nam ſubita, graviſque triſtitia, alia, atque alia mala inducit, itemque terror, qui eſt metus prima, & maxima ſpecies. Sed hoc loco de longa triſtitia, quæ ideo lenior eſt, & longo timore, ſermo eſt, eorumque ſimiles effectus conſiderandi ſunt: qui etiam externis ſignis deprehendi poſſunt, pallore, horrore, frigore, arteriarum pulſu exiguo, imbecillo, tardo, raroque. Ex quibus apparet, in triſtitia, & timore vitales motus langueſcere. Hinc ſolidorum inertia, & humorum viſciditas, (a) eorumque cruditas, & corruptio, ipſaque cachexia fit Perſpirationem quoque iſtæ animi perturbationes imminuunt, ut docuit Sanctorius: *mærore, & timore perſpirat levius: ponderoſius vero relinquitur*. Et poſtea *mæſtitia, & timor impediunt perſpirationem craſſiorem excrementorum perſpirabilium*. Quæ a Clariſſimo Gortero probantur, *mærentes, timentes, ac triſtes valde diminutam habent perſpirationem*. Sed Sanctorii monita non eo ſolum ſpectant, ut perſpirationis imminutionem, ſed eo quoque, ut qualitatem oſtendant. Leviori namque parte expirante, gravior, craſſiorque relinquitur. Oportet autem animadvertere, me non eam hic accuſare peſpirationis imminutionem, quæ viſciditatis, cruditatiſque humorum, firmarumque partium inertiæ poſt longas iſtas animi ægritudines effectus eſt, ſed etiam quæ protinus in his ægritudinibus fit: quæ ipſa eſt cauſa accedens, quamobrem, & viſciditas illa, & cætera oriuntur. Atque hac quidem ratione triſtitia, ac timor facere ſcor-

(a) *Idem aphor.* 458.

ſcorbutum poteſt. Sæpe autem morbus is non protinus ab iis cauſis fit, ſed intercedente melancolia, ex qua ſcorbutum gigni in ſequentibus proponam. Nam ex ejuſmodi animi affectibus melancoliam naſci, vel ille, quem ſupra deſcripſi, Hippocratis aphoriſmus a Celſo receptus, docere poteſt. Nec cuidam dubitationi locus eſt, num mœſtitiam ſcorbuti immediatam cauſam eſſe Eugalenus loco illo conceperit, quo loco ſcripſit ſic: *interna hujus morbi cauſa, melancolici humoris exuberantia cenſetur*. Quaſi ſignificare voluerit, ex mœſtitia melancoliam, ex hac ſcorbutum fieri. Interea obſervationibus cognitum eſt, timorem, triſtitiamque eſſe ſcorbuti cauſam ſine interventu melancoliæ. Ipſeque Eugalenus iſtius cauſæ vim magni fecit, anteaque ſuam mentem propoſuerat. (a) *Quos cum craſsiore victus ratione diuturnior mæſtitia exercuit, de his ægrotantibus conſtanter ſemper prædicere auſus fui, eos a ſcorbuto morbo, vel aliis permixto teneri*. Cum enim dixit a *ſcorbuto* morbo *vel aliis permixto*, ſatis oſtendit, triſtitiam ſcorbutum inducere etiam ſine ſocietate melancoliæ, aut alterius morbi. Sed evidentius alio loco: *quos hac affectione laboraſſe novi, omnibus fere vel poſt craſſum, & melancolicum victum, vel poſt diuturniores triſtias advenisse eam novi*.

Finis Libri Primi.

LI-

(a) *De Scorb. pag. 6.*

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

De Scorbuti eſſentia in genere.

CONſideranti mihi ea, quæ nuper a doctiſſimo Swietenio ſcripta ſunt, recte a a nonnullis ſcorbutus cachexiæ nomine donatus videtur. Eſt enim καχεξία, ut Celſus latine reddit: *malus corporis habitus*, qui in ſcorbuto evidens eſt. Suntque profecto plerique longorum morborum nonniſi totidem cachexiæ genera. Hujus autem cachexiæ, qua ſcorbutus continetur, naturam Boerhavius videtur ſatis recte docuiſſe in eo poſitam eſſe, ut ſanguis, & craſſitie unius partis, & alterius acri tenuitate lædat: addi poteſt, ut Swietenius obſervat, cum ſolidarum partium debilitate. Atque hanc eſſe ſcorbuti naturam, triplici ratione deprehenditur: cauſarum æſtimatione, ſymptomatum contemplatione, & obſervatione earum rerum, quæ in hoc morbo remedio eſſe ſolent. Cauſæ, quæ ad ſcorbutum conferunt.

poſitæ

poſitæ ſunt in ſuperiori libro, atque earum quoque effectus explicavi breviter: neque enim in re manifeſta, & trita tot medicorum ſcriptis, opus erat longa oratione. Tamen clare, & aperte conſtat, omnem earum vim eo vergere, ut ſanguini craſſitiem, & acritatem inferat, ſive aera, ſive cibos, ſive potiones, ſive quietem, & otium conſideremus, ſive animi perturbationes, ſive morbos, quarum rerum culpa oriri hoc genus valetudis conſuevit. Quia vero ex iis quædam non poſſunt, niſi longo tempore, craſſitiem illam, acrimoniamque gignere, ideo fit, ut poſtea fere tarde morbus ſuccedat. At quarum effectus prompti ſunt, eæ celeriter in eum morbum homines præcipitant, ut in nautis facili obſervatione deprehenditur. Qui, ubi ſalſis carnibus aliquot dies uſi ſunt, ſæpe ſcorbutici protinus fiunt, quamquam antea ſatis ſani fuerint, ut ideo eos cibos maximam fuiſſe morbi cauſam negari non poſſit. Sed quid mali tandem hujuſmodi cibi intra corpus præſtant? nempe, ut ex craſſiori chylo, eodemque acriori, humores neque tenues ſatis, neque blandi, viribus ipſius corporis, conficiantur. Quæ res ſerio attendenti patet quam evidentiſſime. Effectus quoque hujus morbi, ipſius naturam demonſtrant. Quorum explicatio quidem, non eſt hujus loci. Sed tamen multos ob craſſitiem humorum fieri perſpicuum eſt, ut obſtructiones vaſorum, totque tumorum genera, quæ in viſceribus, & in externis partibus ſæpenumero oriuntur, quorum aliqua non modo dura, & diuturna, ſed etiam plane ſcirrhoſa exiſtunt. Suntque alii effectus, qui craſſitiem denuntiant, ut membrorum torpor, & quaſi ex labore fatigatio, crurum imbecillitas: ſed omnes recenſere

ſere longum eſt, & minime neceſſarium, cum ſanguis his ægris, inciſa vena, miſſus id oſtendat, qui ater, craſſuſque fibroſa parte plerumque eſt, (a) & ſeroſa quoque aliquid craſſi habet. Quin etiam totum ſerum concreviſſe Svvietenius interdum obſervavit. (b) Aquoſa autem, tenuique parte manifeſtam ille acritatem præſefert. Atque ſummi dolores cum ſenſu rodentium, qui modo has, modo illas partes occupant, quid aliud indicant, niſi magnam acrimoniam? Præterea tot, tamque varia irritamenta, prurigo, ſtranguria, diarrhœa, dyſenteria, teneſmus, quæ mala in ſcorbuto frequentia ſunt, idem ſignificant, non minus, quam ſapor ſalſus, aut acidus, qui in ſaliva frequens eſt, imprimiſque cutis eroſiones, & ulcera etiam partium internarum, oris præcipue, & gingivarum. Verum curatio, quæ huic morbo adhibetur, omnem dubitationem tollit. Eo enim ſpectat, ut & craſſitiei, & acritati medeatur. Quod apparet ex eo, quod plantæ omnes, quas antiſcorbuticas nominarunt, fere vim obtinent ſalinam, incidentem, attenuantem, aliæ minorem, aliæ majorem, quarum delectus habetur pro vario craſſitiei gradu. Simul, quia varia ſunt in variis plantis nativi ſalis genera, ex iiſque tales deliguntur, quæ acrimoniam habent ei contrariam, quæ morbum facit: id quoque præſtant, ut lædentem acrimoniam invertant, & temperent. Illud tenendum eſt, cum acritas leniri deluique obvolventibus,

L dum

(a) *Boerhav. loc. ſupracit. n. 3.*
(b) *VVasvviet. ibid. pag. 299.*

demulcentibus, atque humoris copia poſſit, vix tamen ullum ſatis memorabile beneficium ægris acceſſurum, niſi remedia data ſint: quæ craſſitiem attenuent. Quod magis perſpicuum erit, cum morbi hujus curationem expoſuero. Interea certum eſt, conſideratis quoque medicamentis, quæ maxime prodeſſe conſueverunt, ex craſſitie, atque ex acritate humorum ſcorbutum magna ex parte conſtitui. At ſolidarum partium debilitas, quam præterea adeſſe ex Svvietenio propoſui, quamquam & ex iis, quæ dicta ſunt, tamquam cauſis comprobari poſſit, (neque enim, niſi humores apti ſint, ſolida recte refici poſſunt) & ex morbi curatione, quia cæteris remediis roborantia addere opus eſt: tamen ad hæc argumenta non eſt confugiendum, quando res ipſo ſenſuum teſtimonio confirmatur. Nam ſcorbuticorum gingivas, quamvis leviſſimo attactu lædi, ſanguinemque effluere videmus. Tum ſanguinis profuſiones ex variis partibus, & maculæ etiam latiores, ſanguiſque effuſus, & concretus inter muſculorum fibras, hæc, inquam, omnia, ut acrimoniam vaſa erodentem oſtendant, non minus tamen debilitatem vaſorum indicant, quæ fluentium liquidorum viribus parum reſiſtunt, & facile diſrumpuntur. Notumque eſt, vel ipſa recenti Svvietenii obſervatione carpum, ſi quis ſcorbutico aliquanto ſtrictius ad pulſus explorationem comprehenderit, non multo poſt exhibere digitorum veſtigia, tamquam ex ſugillatione. Atque craſſities quidem poſita eſt in ea præcipue ſanguinis parte, quam fibroſam vocant, ſive ex tenuiſſimis filamentis, quæ ſanguini inſint, illa concreſcat, ſive, quod vero propius videtur, ex ipſis globulis inter ſe junctis certa cohæ-

ſionis

ſionis ratione. Sæpe tamen ſeroſæ quoque parti ſupernatat mucus quidam ex flavo viridis. Hæc craſſities ex eo oriri videtur, quod & aſſumptorum ciborum, & aſſumentis corporis vitio craſſior chylus conficiatur, iſque poſtea in ſanguinem perductus, non ſatis elaboretur propter propriam reſiſtentiam, & defectum languentium vaſorum: ut ideo ejus particulæ non condenſentur ex compreſſione, neque ex volutatione efformentur eum in modum, qui ad optimam ſanguinis conſtitutionem requiritur. Nam niſi chyli moleculæ per totum corpus, maximeque per pulmones, per minima vaſcula propulſæ, neceſſariis canalium viribus, & rotatione inter ſanguinis particulas modificentur, magnitudinemque, pondus, levorem, & figuram acquirant maxime aptam; ſequitur ut craſſior, lentiorque ſanguis exiſtat, eaque, de qua loquimur, craſſities naſcatur: quæ ab altera craſſitie diſtinguenda eſt, quæ phlogiſtica dici ſolet: cujus cauſa quoque diverſa, imo contraria eſt, videlicet validæ corporis vires, humorumque circumductio expedita, & fortis, ex quibus cita fit alimentorum in corporis naturam commutatio. Nam concreſcibilitas illa, ſeu, ut vocant, plaſtica vis plerorumque humorum animalium, quæ in ſero, & in ovi albo per ignem fit, manifeſte oritur ex propria ipſius corporis efficacia. Nec enim in aliis humoribus cernitur, præter eos, qui ad animalia pertinent. Quare etiam lactis proprietatem illam, qua ab acidis coagulatur, ſuſpicatur clariſſimus Hallerius ex lympha animali oriri, lacti commixta: ea nempe lactis parte, quæ mucilaginoſa eſt, & ab aqua, terra, oleo, ſale, diverſa. Itaque differentia eſt magna has inter craſſitiei ſpecies. Nam bene confectus ſanguis, rotun-

das, leves, denſas habet particulas, in quibus niſus eſt ad mutuam cohæſionem, iſque, ſi modum excedit, phlogiſticam craſſitiem conſtituit, Porro videmus, arterioſum ſanguinem, qui & fluidior venoſo, & vividioris coloris eſt, facilius tenaciuſque concreſcere. Ideoque & major fluiditas, & major concreſcendi vis, in eodem ſanguine ſimul locum habent. Ex quo intelligitur unius effectus, cauſam alterius cauſæ non eſſe contrariam. Cumque pulmo quem a dextro corde atrum, viſcidum, craſſumque accepit ſanguinem, eum ſiniſtro cordi, coccineum, fluidum, ſolutumque reddat, in quo tamen major, quam in illo, promptiorque vis eſt cohærendi; id referendum compreſſioni videtur, & cuidam veluti triturationi, quam pulmo in ſanguinem exercet. Attritæ igitur particulæ, leves, rotundæ, ſed ſimul denſiores, compactioreſque fiunt, ut ex ratione luminis apparet, quam vena Pulmonalis ad arteriam habet, & ſiniſtræ cordis cavitates ad dexteras. Hujuſmodi actio, ſi vehementius perficitur, concreſcendi vim in ſanguine ſimul auget, jamque phlogiſtica craſſities exiſtit. Contra craſſities ea, quæ in ſcorbuto eſt, ex iis particulis fit, quæ neque leves, neque globoſæ ſatis, ſed aſperæ, & anguloſæ ſunt ob illam cauſam, quod vires corporis, per quas chylum elaborari, & in bonum ſanguinem verti oportuiſſet, muneri ſuo pares non ſunt. Ex quo fit, ut pluribus contactibus adhærentes, eædem ſenſim majori copia in ſanguine colliganrur, huncque craſſum efficiant. Acrimoniam autem, tenuis præcipue, & aquea ejus pars habet, in qua ſales tabeſcere, & liquari notum eſt, ſive acidi, ſive alcalini, ſive neutri ſint ſive fixi, ſive volatiles. Et quoniam tenuis illa pars non pura aqua eſt, ſed

mixta

mixta cum glutinoſis, blandiſſimiſque particulis, ex quibus fere materia nutritionis eſt, quæque, aqua per vapores ſublata, in certo caloris gradu concreſcunt, non multo majori quam centum graduum, (a) eamdem partem paulatim, vel tenuiorem in ſcorbuto fieri obſervationibus compertum eſt, neque certe fieri poteſt, quin glutinoſæ illæ partes, tot ſalium cuſpidibus percuſſæ, penetrentur, ſcindantur, & in alias, atque alias minores particulas dividantur, pereatque hoc modo blandiſſima illa tenacitas, limphaque tenuis magis magiſque fiat. Atque in aliis quoque morbis, prævalente ſalium copia, & vi, hujuſmodi nimia limphæ tenuitas conſpicitur. De variis autem acritatis ſpeciebus dicam, neque multo poſt: ſed antea nonnulla proponenda ſunt, ac perpendenda ex iis, quæ ad craſſitiem, & acritatem in univerſum pertinent. Primumque ſcire licet in aliis ſcorbuti ſpeciebus majorem, in aliis minorem craſſitiem eſſe, eamdemque variare pro cauſarum varietate. Major itaque craſſities ut plurimum in rancido eſt, & acido ſcorbuto, quam in muriatico, & alcalino, & major in illis ipſis, quo plures cauſæ concurrerint ad eam augendam, ut ſi cum cibis farinoſis non fermentatis, leguminoſis, vel pinguibus &c. ſummum otium, aer craſſus, humiduſque, & ſimilia juncta fuerint. Ex quo perſpicuum eſt in eodem quoque genere craſſitiem magis accuſandam eſſe, ubi morbi cauſæ ad eam gignendam magis idoneæ exſtiterint: verbi cauſa major erit craſſities in aci-

(a) *Boer. Chym. in anim. part. 2. proceſs. 117.*

in acido ſcorbuto ex leguminibus, farinoſiſque ſolis nato, quam ſi acetariorum quoque, & horariorum fructuum uſus acceſſerit: itemque in rancido ex caſeo, larido, quam ex recentibus carnibus genito. Altera quoque conſideratio neceſſaria eſt, non omnibus morbi temporibus eumdem craſſitiei, & acrimoniæ gradum, & proportionem adeſſe: fere autem fit, ut quo magis increſcit acrimonia, eo craſſities minuatur. Quod eadem ratione contingit, qua glutinoſæ lymphæ partes a ſalibus attenuari ſupradictum eſt. Idque etiam in phtiſicis, & melancolicis frequens eſt atræbilis in his, in illis puris acrimonia, humores tandem prorſus colliquari. Itaque videmus in ſcorbuto primis temporibus magis craſſitiem, minus acrimoniam lædere. Deinde hac in creſcente, illam decreſcere ſic, ut ſæpe in ultimo morbi gradu humores omnes, ſuſcepta quadam velut putrefactione, peſſime reſoluti ſint. Quo ſpectant illorum obſervationes, qui ſanguinem his ægris mittere aliqua neceſſitate coacti, tenue modo acreque velut ſerum repererunt, quod minime coiret. Ac ſolutum, & protinus male olentem cruorem inter ſigna putridi ſcorbuti ipſe poſui libro ſuperiori. Sed hujuſmodi colliquatio non obſtat, quominus vere dicatur craſſities in ſcorbuto peccare. Eſt enim colliquatio illa effectus morbi, & quædam ſucceſſio, non cauſa, & initium. Atque hæc de craſſitie, & acrimonia in genere. Nunc pauca de ſolidarum partium debilitate. Quæ quomodo fiat in hac valetudine, perſpicuum eſt ex iis, quæ hactenus de vitiata humorum natura dicta ſunt. Demonſtravit enim magnus Boerhaavius, niſi ea, quæ aſſumuntur in naturam liquidi vitalis ſani aſſimilentur, fibrarum debilitatem oriri.

(a) Cum

(*a*) Cum enim nutritio ultima ſit actionum, quæ in corpore animali perficiuntur, cujus neceſſitate aliæ quædam conſtitutæ ſunt quaſi gradus, per quos ad illam perveniri poſſit: materiaque, quæ in cibum aſſumitur, ſenſim ita præparetur, ut ea reſtituere poſſit, quæ vita aſſiduo tritu de ſolidis aufert; quid manifeſtius, apertiuſque, quam, ſi per ſucceſſivas illas actiones materia nutritionis apta non facta ſit, hoc munus ab ea præſtari non poſſet. Siquidem neceſſe eſt, talia reponi, qualia abraſa ſunt. Quod ni fit, particulis detractis, contactibuſque imminutis, fibræ in debilitatem veniunt. Fieri autem non poſſe, niſi omnes neceſſariæ præparationes accedant, id, ut dixi, manifeſtiſſimum eſt. Ac ſubtilius inquirendo, ſi illud attendimus, quod ex iiſdem principiis deductum clariſſimus Gorterus propoſuit (*b*) inter cauſas debilitatis fibrarum deficientem eſse tenacitatem ejus humoris, quo tenuiſſimæ fibrillæ inter ſe glutinantur, ex quo eum alii gluten appellarunt, intelligimus in ſcorbuto fere deficere neceſſariam iſtam tenacitatem, quæ oritur ex glutinoſis illis, & concreſcilibus lymphæ partibus, quas ſupra dixi a ſalium cuſpidibus diſcindi, atquæ attenuari.

CA-

(a) *Aphor. d. cognoſc. & curand. morb.* §. 25.
(b) *Libr. mediç. ſyſtem. titul.* 1.

CAPUT SECUNDUM.

De natura acrimoniæ ſcorbuticæ ſalinæ-muriaticæ.

VEnio ad explicationem ſingularum ſcorbuti ſpecierum, & primum muriaticæ, cujus ratio quoque facilior eſt. In hac ea lædit acrimonia, quæ eſt ex ſale maritimo, aut maritimo proximo, quo in ciborum conditionibus uti ſolemus. Nec enim multum refert maritimo aliæ gentes, an fontano ſale utantur, an etiam gemmeo. Nam iſtæ ſalium ſpecies ſunt inter ſe quam ſimillimæ. Qua ratione permotus Lemerius ſalſedinem maris ex venis ſalis gemmei oriri, & gemmeum, fontanum, maritimum ſalem unum prorſus, & eumdem eſſe propoſuit, varietaſque, ſi qua eſt, ipſi videtur proficiſci ex majori, vel minori terræ permixta copia. Acrimonia igitur muriatica ex hoc tantum ſale inducitur, ſic, ut quicumque eo in totum abſtineat, muriatico numquam poſſit ſcorbuto laborare. Nam illa quidem exiguiſſima ejus portio, quam in vegetabilibus quoque reperiri nonnulli affirmarunt, pro nihilo eſt. Et qui alium ſalem invicem ejus ad cibos condiendos adhibeant, ut olim de quibuſdam gentibus Galliæ Tranſalpinæ intus ad Rhenum M. Terentius Varro ſcripſit, (a) *quæ* ſalem nec foſſitium, nec maritimum haberent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo *uterentur*: igitur ejuſmodi ſalem, aut ſimilem e cineribus edu-

(a) *De re ruſtic. lib.7. c. 13.*

eductum adhibeant, qui ſalſedinem utcumque præpræſeferat, ii ſi in ſcorbutum incidant, muriatici is generis non erit dicendus. Hujuſmodi enim ſalis natura maxime diſtat a natura maritimi ſalis. Is dicitur contra viventis corporis aſtionem diu perſiſtere eam, qua, ea quæ aſſumuntur, in corporis ipſius naturam commutantur: ejuſque particulas cubicam conſervantes figuram, neque mutatas non ſolum in ſanguine ope miſcroſcopii detexit vir ſolertiſſimus Levenoechius, verum etiam in humore criſtallino. Ac Boerhavius quoque hanc maritimi ſalis immutabilitatem comprobare non uno experimento tentavit. Nam in terra ex ſanguinis deſtillatione ſuperſtite verum maritimum ſalem reperit (*a*), quem antea maritimo ſimilem dixerat Boyleus: itemque in urina, duodecima hora a cibo reddita, (*b*) quod Helmontii, & Tachenii obſervationibus reſpondet. Quem ſalem fuiſſe maritimum, & ſapor ejus docuit, & vis aurum ſolvendi, ſi cum aqua forti miſceretur. Quin etiam idem largiori copia habetur ex illorum urina, qui liberalius eo uſi ſunt, Boerhavio obſervante, & de his quidem fere inter omnes convenit. Quod autem Boerhavius propoſuit in urina, aliquot menſium ſpatio putrefacta (nam in prælectionibus quidem ſpatium trium annorum notatum eſt, minime mutatum maritimum ſalem etiamnum fuiſſe) id poſtea aliorum obſervationibus non eſt ex toto compro-

(a) *loc. ſuprac. proceſſ.* 119.
(b) *Ibidem proceſſ.* 92, *& ſequent.*

probatum. Certe vir experientiſſimus Pottius, putrefactione ſalem hunc utique mutari comperit, & experimentum protulit, in quo altera urinæ pars recens inſpiſſatur, ut maritimi ſalis, quæ copia inſit, ſciri poſſit, altera *putrefactioni per ſat longum tempus committitur*, in qua deinde invenire liceat, *quam parum tunc de ſale communi adhuc reſtet*. (c) Alias etiam obſervationes adjecit, quæ a clariſſimo Carteuſero ex eo prolatæ ſunt. Ego viro illi perito, atque, ut notum eſt, integerrimo, non poſſum non credere, præſertim cum fateatur, poſt diuturnam quoque putrefactionem, aliquam adhuc maritimi ſalis partem reſtare, qua fortaſſe Boerhavius deceptus eſt, non attendens, multo minorem eſſe, quam fuerit ante putrefactionem. Eademque ratio ſatis, opinor, illud oſtendit, quod antea dictum eſt, maritimum ſalem diu reſiſtere actionis corporis viventis, cum neque longa putrefactione totus immutetur, neque vires corporis cum viribus putrefactionis adeo validis comparandæ veniant. Quæ cum ita ſint, qui neceſſitate aliqua, vel gentium more, vel alia de cauſa, ſalſas carnes, aut quo tandem cumque modo maritimum ſalem immodice aſſumunt, iis humores omnes illius particulis graviter inficiuntur, quæ indeſinenter in corpus agunt, effectuſque tales parere poſſunt, quales ſcorbuti proprios in priori libro expoſui. Verum quoniam aliqua ſalis hujus pars cum urina exit, aliqua etiam cum bile fortaſſe ſeparatur (ſi quidem in hujus

(c) *Collect. prim. pag.* 21.

jus quoque analyſi ſal fixus repertus eſt, quem aliqui ad maritimum referre volunt:) bilis autem pars alvo dejicitur, brevi tempore humores videntur ab illo liberari poſſe, ut aliquis non protinus concipiat, quomodo tanta ejus copia colligatur, ut longum morbum faciat. Sed primum muriatica acrimonia celeriter naſcitur, ut in nautis conſtat, quia ingeſtus ſal cito lædit, difficulter vero ſubigi, aut expelli poteſt. Interea ſi copioſe quidem, ſed tamen brevi ſpatio, hic ſal aſſumitur, & ſcorbutum facit, cito, integris adhuc corporis viribus, tollitur morbus abſtinentia ab eodem, juſculis ex recenti carne inſulſis, ovis ſorbilibus, oleribus, fructibus horariis (*a*), ut de iis notum eſt, qui in orientales Indias navigantes, ubi hoc morbo correpti ad Promontorium bonæ ſpei appellunt, facile his ipſis auxiliis reſtituuntur. Verum multæ ſunt rationes, quamobrem interdum difficilior, & longior morbus ſuccedat. Ante omnia, ſi ſalis maritimi abuſus non adeo ingens, ſed diuturnus eſt; ex quo duo mala contingunt: alterum, quod, acrimonia latenter ſubrepente, abuſus ſalis non tollitur, & ubi illa paulatim ſeſe manifeſtat, uſus non intermittitur ſic, ut quotidie aliqua ſalis pars in humores invehatur. Alterum malum eſt, quod corpus ſenſim vitiatur, roburque ejus infirmatur ita, ut deinde minus valeat ad particulas illas extricandas, ſecernendas, perque accommodatas vias expellendas. Ideo retineantur illæ neceſſe eſt, ac velut inhæreſcant ſub humorum

M 2 craſ-

(a) *VVaſvviet. loc. ſupracit. pag.* 287.

craſſitie . Nam in hac ipſa craſſitie poſita eſt altera ratio, quare humores maritimo ſale infecti difficilius repurgantur, potiuſque ejus particulæ magis, magiſque irretiantur. Fit vero hæc craſſities, & ut dixi, vitiato corpore, atque infirmato, & aſſumptis cibis iis, qui eam inducere conſueverunt. Fere enim nimius ſal per ſe non aſſumitur, ſed cibi hoc nimium conditi, ut ſalſæ carnes, quæ ſale ipſo ita indurantur, ut neque recte concoqui poſſint, neque chylus in ſanguinem deductus ſubigi, attenuari, apteque immutari. Quid enim aliud præcipuæ boni nautis, de quibus retuli in ſuperiori libro, afferre labores credendum eſt, quos ſine neceſſitate ſuſcipiunt, aut ſuſcipere coguntur, quam quod motu muſculorum, auctoque ſanguinis circuitu humores magis attriti, ab ea, quæ ex uſu ſalſarum carnium, caſei &c. oritur, craſſitie vindicentur? qua remota, particulæ quoque ſalis facilius extricantur. Accedit illud quoque, quod maritimus ſal cum humoribus animalibus fere arcte uniatur, ut Boerhavius adnotavit, obſervationemque attulit, qua conſtat, *laridum ſalſum muriaticam acrimoniam non deponere, etiamſi per pluries horas cum aqua coquatur*. Ex his inintelligi poteſt, muriaticam acritatem, interdum facile elui, & inde natum ſcorbutum prompte curari; interdum gravius inſidere, maxime, ubi ſpatium acceſſit. Tum enim novæ res incidunt, quæ morbum pejorem faciunt, & corpus mutatur, atque diſponitur ad ſcorbutum fovendum ſic, ut quamvis acrimonia illa prope extincta ſit, morbus tamen non ceſſet, ſed ſalibus humorum propriis evectis in aliam ſpeciem tranſeat alcalinæ proximam. Quæ quidem mutatio utique contingit, quamquam maritimus

ritimus ſal animalium partes a putredine, ideoque ab alcalina corruptione aliquo modo tueatur. Sed primum ſal tanta copia non ineſt, ut putredinem arcere, novis, iiſque validis cauſis accedentibus, poſſit. Ergo etiam urinam, quæ præ omnibus corporis humoribus videtur ſalibus plenior, tarde quidem in hac ſcorbuti ſpecie putreſcere, ſed tamen putreſcere dictum eſt, facilitatem maritimo ſale retardante, mutationem omnino prohibere non valente. Deinde ſalis portio quædam excernitur, quædam fortaſſe immutatur, propter eas ipſas cauſas, quæ alcaleſcentiam promovent. Equidem iſta mutatio difficilis ne dicam, impoſſibilis a quibuſdam habita eſt, & eſt ſane non facilis. Sed non eſt improbabilis Viri Clariſſimi Cartheuſerii ſententia, qui interdum illud aliqua ex parte fieri poſſe propoſuit. Calor enim, & attritio, quem intra vaſa ſal ille patitur, idem proportione efficere poteſt, quod coctio, & putrefactio. Cauſa vero, quæ muriatici ſcorbuti tranſitum in alcalinum juvat, non una eſt. Nam, & languens, tarduſque humorum, vel plane impeditus motus id præſtat; & multo magis concitatior, validiorque eorum circuitus, multaque alia, quæ dilucidius proponam eo capite, quod erit de alcalino ſcorbuto.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De acidi ſcorbuti acrimonia.

AT de acida ſcorbuti ſpecie obſcurior eſt ratio, non tam ipſa re, quam veteribus, noviſque ſcriptorum diſſenſionibus. Alii enim dixerunt, ſanguinem plenum eſſe acidi, a quo actiones in corpore quædam perficiantur. Alii ſi quidem aliquid acidi in ſanguine ſit, voluerunt id præter naturam, ideſt, morboſum eſſe. Nonnullique extiterunt, qui conceſſere utique nonnihil acidi naturaliter in ſanguine reperiri, ſed obvoluti, & latentis ſic, ut ejus ope actiones ullas perfici prorſus negaverint. Contra primos copioſe, & vere dixit Boerhavius, oſtenditque quanto in errore verſarentur. Ipſe ſanguinem nihil acidi naturaliter habere docuit, idque chymicis experimentis comprobare anniſus eſt: ſi quid ejus vero ex terra poſt ſanguinis deſtillationem ſuperſtite educitur, id a maritimo ſale eſſe. Quam doctrinam multi ſequuti ſunt, ab eaque non multum diſtantia antea propoſuerat vir ampliſſimus Lanciſius (*a*) At Hombergius, (*b*) & Lemerius productis contrariis exprimentis inſurrexerunt, ſalemque acidum deſtillatione ex ſanguine ita prodiiſſe aſſeruerunt, ut nullo modo a ſale marino eſse potuerit. Propterea a nonnullis, ut dixi, acidum in ſanguine non deeſse proditum eſt

(a) *Ad Raimun. rieus. diſſert. 4.*
(b) *Acad. des Scienc. ann. 1712.*

eſt, ſed mixtum cum aliis principiis, neque purum, ut ideo acidi proprias vires non exerceat: idque eſſe ex reliquiis chyli ex aceſcentibus cibis confecti, & in naturam animalem nondum perducti. Quod de humoribus corporis humani indubium eſſe videtur per experimenta Boerhavii, qui neque in urina, (a) neque in ſangninis ſero aliquid acidi manifeſti invenit, neque (ad cætera animantia deſcendendo) in ovi albumine neque in ipſo recenti bubulo lacte quod humor eſt animalis graminivori, multumque adhuc habens de cibi ingenio. Quod ſi naturam humani corporis, tum aliorum quoque animalium, in quibus experimenta capta ſunt, bovis puta, ovis &c. conſiderare volumus, inveniemus eam hujuſmodi eſſe, ut acidum mutet in ſalem proprium, eumque proxime ad alcalinum deducat. Quæ res poſtea tractabitur, ubi ad alcalinam ſcorbuti ſpeciem ventum erit. Hujuſmodi vero mutatio incipit in ore, tum in ſtomacho, inteſtinis, venis lacteis, glandulis meſenterii, chyli receptaculo, ductuque thoracico augetur, tandem in venis, arteriiſque paulatim perficitur. Ex quo apparere poteſt, cibos in chylum verſos, ubi in ſanguinem veniunt, nondum naturam corporis in totum aſſumpſiſſe, ideoque non parum adhuc priſtinæ naturæ retinere. Neque alia certe cauſa eſt, quamobrem lac bubulum, ex novo chylo recenter paratum, ex uberibus emunctum, atque in calido, puroque aere ſervatum cito aceſcit; ſanguis, qui jam antea totus ex chylo factus, & paulatim congeſtus eſt, in eodem aere, & quiete

(b) *Operat. chymic. in animal. part. 2. proceſſ. 89. & ſequent.*

quiete brevi alcalinam indolem ſuſcipit, & putreſcit. Quin etiam lac ipſum ſi ſecretum eſt longe a cibo, vireſque corporis diutius paſſum, aut ſi hæ validiores eo tempore fuerint propter exercitationes, aut febrem, vix amplius aceſcit, ſed potius rancidum fit, & alcaleſcens. Ejus autem proclivitas in acorem, oritur ex aſsumptis vegetabilibus. Quod ſi tenero, & ſubaceſcente gramine animal non eſt paſtum, ſed fæno, & plantis acribus, quas alcaleſcentes vocant, etiam in lacte imminuitur, aut plane perit vis illa aceſcendi. Quamquam igitur chylus cum in ſanguinem venit, multum de natura ciborum conſervat: tamen etiam ubi ex acidis aut aceſcentibus cibis paratus eſt, nihil fere manifeſti acidi naturaliter habere putant. Ubi vero languent vires, aut ex parte deficiunt, quæ pertinent ad mutationem ciborum, antequam vaſa lactea ex illis factus chylus intret, hæc quoque mutatio minor eſt. Ex quo fit, ut quod acidi in cibis eſt, etiam in ſanguinem ex parte invehi poſſit. Neque requirendum eſt, quomodo ab anguſtiſſimis lacteorum oſculis acidæ, pungentes, irritanteſque particulæ admittantur, & convulſa potius contractaque illas non excludant. Quod enim & factum eſt, & fit, neceſſe eſt, fieri poſſe. Factum vero eſſe, & idemtidem fieri, ſudor, ſalivaque acida per hunc, alioſque morbos oſtendit, oſſa in Rachitide emollita, atræbilis acidiſſima ſpecies ex ruptis vaſis effuſa, aliaque plura. Inter hæc notum eſt etiam acriora quædam ſubire eadem vaſcula, ut olea quædam deſtillata, quæ fere exedendi vim habent, cum erodentia cum auſtero admodum ſapore, ut ſublimatus mercurius corroſivus. Tam illud evidentiſſimum eſt, acidi ſcorbuti materiam extrin-

extrinſecus corpori advenire perinde ac muriatici, hac differentia, quod corporis vires eam facilius ſuperare, ac mutare poſſunt, & ubi non poſsunt, tum demum acidum præter naturam exiſtere, & lædere. Primumque *totam*, ut habet Clariſs. Svvietenius, *digeſtionis prius officinam* hoc acidum inquinat, & replet, poſtea in ſanguinem confluit. Atque in ſtomacho quidem, & inteſtinis, quo minus illud, ut par eſt, ſubigatur, & miteſcat, virium, quibus concoctio peragitur, quædam defectio in cauſa eſt. Quod niſi eſset, acida aſsumpta ab omnibus mutarentur, cum certum ſit, qui ſtomacho ſunt valenti, ea mutare, qui imbecillo, non item. In ſanguine vero duplex ratio eſt, & quod acidum minus mutatum accipit, quam naturaliter oportet, & quod totum corpus minus valet ad eam mutationem perficiendam. Nam integris adhuc ejus rebus, ſi ſanguis acidum, nihil, aut parum immutatum, primæ digeſtionis vitio, accipiat, hujus mutationem in eo tardam, difficilemque futuram perſpicuum eſt. Nunc vitiata prima digeſtione fieri non poteſt, ut ſimul ſanguinis, & reliquorum humorum naturalis conſtitutio, totiuſque corporis habitus non vitietur. Quin etiam, quamvis in pleriſque morborum generibus, maxime longorum, prima adverſæ valetudinis origo a depravata ciborum concoctione repeti ſoleat, ſtomachuſque vel ab ipſo Hippocrate accuſetur, tamquam primaria cauſa, tamen ſolidorum, liquidorumque, quæ ad primam concoctionem pertinent, vitium primum a labefactato totius corporis robore, everſaque ab aliis quibuſdam cauſis œconomia, interdum oriri manifeſtum eſt: prava quidem digeſtione non minus mali corpori retribuente. Apparet igitur ad hoc, ut aci-

dum in ſanguine ſuperſit, alteram cauſam accedere: imminutione actionis illius, qua chylus in optimum ſanguinem convertitur. Acidi vero ſcorbuti materia ſunt cibi, & potus ex vegetabilibus, quorum alii jam acidi, alii tales ſunt, ut in ſtomachum recepti eadem de cauſa, qua qui acidi ſunt, non mutantur, ipſi acidi fiunt. Ad primum genus pertinent fructus horarii acidi, poma limonia, punica, quædam ceraſorum ſpecies, ribeſia &c. quædam herbæ, ut acetoſarum ſpecies: potiones fermentatione paratæ, ut vina acidula, acetum, quo nonnulli large utuntur, & poſca. Ad alterum genus referendi ſunt fructus horarii dulces, uvæ, ficus, poma &c. legumina, paſtæ non fermentatæ, aut ſi fermentatæ, tamen generis craſſioris, tenacioriſque, ut panis ſecalinus, fabaginus &c. Succi quidem plantarum, & fructuum, ut muſtum, cereviſiæ, & vina non ſatis fermentata, mel, & quæ talia ſunt. Hæc omnia ventriculo concluſa, ejuſque humido calore fota ubi neceſſariis viribus non concoquuntur, initia ſubeunt fermentationis, & in acidam pultem vertuntur. Neque diſſimulandum eſt, motu ventriculi, & vicinarum partium ingeſta, prohiberi a fermentatione, quæ quietem deſiderat. Tamen eo ipſo, quod languet motus ille, incipit fermentatio, & perfectam fermentationem non fieri, ſed ejus tantum incoationem concipimus. Certe qui ſtomacho imbecillo ſecalinum panem, ut ſuperiori libro dixi, aut legumina, aut copioſas ficus &c. in cibum aſſumunt, in potum vero aut aquam, aut dulce vinum iis paulo poſt ructus, aut etiam vomitus acidi ſupervenient. Sed animum advertant, qui fermentatione cibos concoqui putant, me ſuam opinionem non probare, imo ab

ipſis

ipſis maxime diſſentire. Cum enim in ſtomacho fermentationem incoari dico, id morboſe fieri, neque tamen perfici profiteor. Denique ſcire licet, lac quoque, quamquam animantium ſit ſuccus, quod multum retinet de ciborum proprietate, in ſtomacho infirmo facile coaceſcere. Acidum autem ſcorbutum interdum auſteri quoque aliquid habere alio loco propoſui. Id vel protinus a cibis fit, vel poſtea ipſius corporis vitio. Nam acidum, ubi terræ unitum eſt, auſterum fit, ſive acerbum. Ergo ſive auſtera quædam, ut mala cotonea, ſorba, capparis fructus &c. vel immatura poma aſſumuntur, auſterum in ſanguinem ducitur: ſive ea, quæ modo dicta ſunt. acidam acrimoniam gignunt, quæ in corporis humoribus copioſas terreas particulas offendit, ut in temperamento, quod vocant, melancolico, cum iis conjungitur, & in acido auſterum convertitur. Cum hæc materiam acidi ſcorbuti præſtent, neceſſe eſt cauſas ita dictas efficientes accedere, quas paſſim nominavi. Eas tres eſſe præcipue Boerhavius dixit, primamque fecit *inopiam boni ſanguinis, in corpore materiam illam aſſumente:* intellexitque, opinor, etiam humorum ad concoctionem pertinentium, ſalivæ, ſucci gaſtrici, & pancreatici, bilis &c. qui, niſi bonus ſit ſanguis, eſſe boni non poſſunt. Secundo loco poſuit *debilitatem fibroſæ compagis vaſorum, & viſcerum*: tertio *defectum animalis motus*. Qui quidem defectus, & per ſe nocet, & quia ex eo oritur etiam illa debilitas fibroſæ compagis. Hæc omnia a Clariſs. Swietenio docte explicata ſunt. Ac rurſus intelligitur, quomodo cauſæ illæ, quas priori libro proſequutus ſum, huc conferant: aer paluſtris humiditate fibras relaxando, tum ſanguinem inquinando & perſpira-

 tione

tione retenta, & introactis noxiis exhalationis particulis, itemque cætera, quorum cognitio expedita eſt, & ex parte indicata. Illud non omittendum, quod non raro obſervatum eſt, acidum ſcorbutum in alcalinum degeneraſſe, putredine ſuſcepta. Neque eo dico, quod gingivæ fœtere incipiant, malique odoris humor ex ulceribus feratur. Hæc enim, ut monui, in acido ſcorbuto fieri ſolent, priſtinam etiamnum naturam conſervante. Verum eodem in pejus ruente, interdum odor cadavericus totum ægri corpus occupat, urina nigreſcens, & multum fœtidior redditur, quam oporteat, itemque aluus: manifeſto indicio ſubortæ cujuſdam putredinis, quæ acidum non admittit. Quæ res nihil admirabilis habet, atque inſoliti. Notum eſt enim, etiam res acidas, ut eſt acetoſa, putrefactione mutari, & in fœtentem alcalinam indolem verti. (a) Ac quamdam velut putredinem in ſcorbuto variis de cauſis fieri ſupra dixi, quarum vis etiam in hac ſpecie plurimum poteſt, ut poſtea oſtendam.

CA-

(a) *Boerhaav. operat. chymic. part. I. in veget. proc. 88.*

CAPUT QUARTUM.

De rancido-oleoſa ſcorbuti acrimonia.

DE rancido ſcorbuto non admodum multa dicenda ſunt. Eam acrimoniam ad oleum, quod eſt in humoribus corporis, pertinere ſignificat verbum *oleoſa*, quod adjicitur: tum ipſum rancidæ nomen, cum ranceſcere oleum tantum ſoleat. Oleum igitur, quod per ſe blandum, ſubdulce, lene eſt, ubi ætate acre, amarum, vehemens fit, ranceſcere dicitur, (*a*) quæ mutatio eo citius contingit, quo aer calidior eſt ſic, ut fervida æſtate oleum, ex amygdalis expreſſum, poſt horas quatuor ſupra viginti, ranceſcere incipiat. Atque ignis conſimilem mutationem brevi inducit, dum oleum frigitur; quod enim blandum eſt, acre fit, atque, ut vocant, empyreumaticum. Simul etiam quod acritatem acquirit oleum, craſſitiem ex parte amittit, tenuius fluit, ut in eodem amygdalino apparet. Acritas autem rancidi olei videtur, vel ipſius deberi particulis attenuatis, & in aliam figuram verſis, ex quo Boerhaavius oleum in ſalem mutari dixit: vel, quod vero propius eſt, & ad hunc modum, opinor intelligi Boerhavius voluit, ſalinis particulis evolutis, quarum anguli, ceu cuſpides, antea craſſioribus olei particulis irretiebantur, atque obvolvebantur. Sal enim etiam oleo ineſſe indubium eſt. Huc faciunt duo experimenta, alterum quidem facile, & obvium, alte-

rum

(a) *Idem ibid. proceſſ.* 20.

rum ſummæ patientiæ, & minime vulgate. Primum eſt, rancidum butyrum, ſi aqua ſæpius & diligenter eluitur, ranciditatis multum deponere, & blandius fieri, acri ſcilicet ſale in aqua ſoluto, & ablato. Alterum ab Iſaaco Hollando primo inſtitutum eſt, & a Boerhaavio poſtea repetitum. *Ex ſanguine humano oleum --- ad ignem ſtillat acerrimum, teterrimi ſaporis, & odoris, ambuſtumque. Tale oleum in vaſe proprio omnino ut butyrum paratur, tundebant noctem, diemque, & ſub lamina perforata cum aqua carminabant: ſeceſſit omnis ſalſedo in aquam, & oleum blandum manſit, album, inſtar ceræ inſipidum.* Rancidus vero ſcorbutus duobus modis oriri poteſt: ex oleo rancido aſſumpto, & ex oleo intra corpus demumranceſcente. De cibis, qui ranciditatem habent, ut de rancido larido, & butyro, plana, & evidens ratio eſt. De ranciditate vero, intra corpus naſcente, ſcire licet, eam vel protinus ex ipſis cibis in ſtomacho oriri, vel deinceps ex oleo, quod in ſanguine eſt. Pingues enim cibi, ideoque multum olei habentes, in ſtomacho facile ranceſcunt, utique ſi durioris ſunt generis, aut ſi is, qui illos aſſumit, imbecilli ſtomachi eſt, aut in otio vivit, ſi etiam febris tenet &c. Ex quo fit, ut a tali cibo aſſumpto ructus nidoroſi, acres, exurenteſque erumpant. Jam illud manifeſtum eſt, ob talem corruptelam inquinatum rancidis particulis chylum in ſanguinem ferri. Interdum autem ipſe ſanguis ranciditatem contrahit, non aliunde advenientem, ſed in ipſo ſubortam. Quod incidit, ubi oleoſæ partes in eo nimis abundanter exiſtunt, & non modo aquoſarum, cæterarumque proportionem enormiter exuberant, verum etiam neceſſariam commixtionem cum reliquis principiis non obtinent: adjectis ſimul cauſis, quæ oleo-

oleoſas illas partes per ſe blandas, tunc rancidas efficiant. Nimiumque fere abundant oleoſæ iſtæ partes, ſi cibis maxime oleoſis qui utitur, peculiarem quemdam humorum, & firmarum partium habitum habet, propter quem & largius colligi eodem poſſint, & minus ſubigi, & cum aquoſis, ſaliniſque partibus conjungi, atque commiſceri. Multumque ad hoc animi confert, & corporis quies. Quod ſi iis, quæ cum ſanguine circumferuntur, aliæ etiam, ex adipoſa membrana reſorptæ, præter conſuetudinem, copioſiores oleoſæ particulæ cauſa aliqua adjicientur, eo magis exuberantia olei ſupra aquam in ſanguine increſcit, faciliuſque incidere ranciditas poteſt. At quæ hanc faciunt, cauſæ ſunt quæcumque corporis humoribus aquam detrahunt, ſimulque calorem augent. Certum eſt enim aucto calore, olea, quæ lenia ſunt, rancida fieri. Itaque fervidiore æſtate, ſimul cum vehementiori exercitatione, quibus cauſis etiam multum aquæ de corpore decedit, videmus, non bilem modo acriorem fieri, ex qua tormina, & febres quædam cum alvi fluxu oriuntur, ſed ſanguinem quoque rancidam diſpoſitionem acquirere, & quamdam febrium ſpeciem commoveri, quas bilioſas nominant: non quod bilis proprie eam commoveat, ſed quod humores oleoſa quædam acritas, atque ranciditas, qualis ferme in bile eſt, inquinet, atque corrumpat. Ex his, conſideratione adhibita, colligi poteſt, quæ, & quot poſſint rancidum ſcorbutum gignere ex iis cauſis, quas priori libro propoſui. Sed cum dixerim, pingues, oleoſos cibos huic ſcorbuti ſpeciei materiam præſtare, ſciendum eſt, ranciditatem in ſtomacho quidem, niſi ex pinguibus, prorſuſque oleoſis, non contingere, butyro puta, carne pingui &c. præſertim ſi hæc copio-

ſius

ſius aſſumpta ſunt: neque exempli cauſa panem ranceſcere. In ſanguine diverſa ratio eſt. Cum enim chyli præparatio eo potiſſimum ſpectet, ut oleoſæ præſertim particulæ ex quocumque ciborum genere educantur, & cum aqueis commiſceantur, qua in re chylum cum emulſione convenire jam pridem obſervarunt: chylus igitur maxime oleum in ſanguinem fert, quod ranciditatem contrahere æque poteſt dictis de cauſis. Ac multo quidem plus olei ex carne pingui, butyro &c. in ſanguinem chylus deducit, quam ex pane ſiligineo aſſumpto; tamen non ex hoc modo, ſed ex macro quoque pane ex ſimila, ex oleribus, ex ſiccis leguminibus &c. oleum elicitur concoctione, ſanguinique affertur. Ergo ſatis eſt, eam eſſe corporis naturam, quæ ſupraposita eſt, ut tamen fatendum ſit, ex cibis poſterioris generis prope difficillime rancidam acrimoniam, & ſcorbutum oriri. Quoniam autem in iſta ſanguinis conſtitutione aquæ minus adeſt, oleique partes abundant, quæ ipſius aquæ etiam copioſius in potum aſſumptæ aſſociationem fere difficulter admittunt craſſitiem, ideo exiſtere in una ſanguinis parte manifeſtum eſt. Atque ob eamdem rationem ſeroſa ſanguinis pars acrior erit, cum id ipſum, quod ranciditatem conſtituit, quiddam, acre, ſalinumque ſit, quod aqua ſolvi poteſt. Omnino enim videntur ſales, qui in oleo ſunt, cum oleoſis partibus attenuatis copulari, ut peculiare quoddam ſalis genus efficiatur, quod ranciditatem conſtituat. Eſtque hæc mutatio ab ea mutatione non valde diſſimilis, quæ fit in putrefactione, ut evidens erit ex iis, quæ de alcalino ſcorbuto ſtatim dicam. Ad quem ex rancido tranſitum facilem &c. cum ſatis appareat, magis tamen apparere ex iiſdem poterit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De alcalino fœtenti Scorbuti acrimonia.

QUO brevior fui in rancidi, eo longior ero in alcalini ſcorbuti explicatione. Is verbo eam humorum conſtitutionem ſignificat, quæ alcalinum ſalem per ſe præbeat: revera nihil per eum intelligendum eſt aliud, quam majorem humorum viciniratem alcalinæ naturæ. Nam, ut dixi, animalium humores etiam naturaliter, ita vi corporis viventis in alcaleſcentem indolem deducuntur, ut ex cibo etiam acido, non acidum lac, ſed mora, & quiete ſæpe facile aceſcens, ex eodem lacte ſanguis non modo non acidus, ſed eadem quiete, & mora non jam aceſcens, ſed putreſcens conficiatur: ut ideo negari nonpoſſit, ſalem animalium humoribus proprium alcalino generi potius, quam alio accedere. Quamquam id quidem, quod contingit in ſangine effuſo, & putreſcente, atque externo ſpiritu circumſepto, ipſius putrefactionis viribus tribuendum eſt. Quod vero in humoribus e corpore eductis, neque adhuc mutatis deprehenditur, id utique iis proprium cenſendum eſt. Itaque magni Boerhavii experimentum in urina factum, cujuſnam naturæ ſint ſales animalium corporibus proprii demonſtrare poteſt. In urina vero potiſſimum inſtitutum eſt, quod hæc præ cæteris, qui in corpore ſunt, humoribus, magnam videtur ſalis copiam habere, eamque vires corporis diutius paſſam: magiſque quia urina adhibita eſt hora duodecima ab extremo cibo reddita. Ex qua lento igne inſpiſſata, percolata, & in quie-

te repoſita habuit vir ille maſſam ſalinam, quam in aqua ſolutam, & depuratam, noviſſime concretam, ſalem urinæ nativum nominavit (*a*) jure, ut mihi videtur. Neque enim putredinis, aut ignis ulla ſatis potens vis acceſſit ad ſalis illius preparationem. Is non equidem alcalinus, multo minus acidus eſt. Sed utique alcaleſcens, neque tamen volatilis, ſed vi ignis volatilis, & alcalinus prompte fit. Qua proprietate differt ab ammoniaco ſale, qui ſublimatione ſemivolatilis aſcendit, ſed in alcalinam naturam non commutatur (*b*) Cum autem urinæ origo ex ſanguine ſit, quem chylus conficit, cum ipſe ex cibis oriatur, neceſſe eſt, ſalem urinæ, ſcilicet ſalem animalium, a ſale naſci, qui cibis ineſt. Niſi enim ita eſſet, quoniam veteres humores pereunt, vetus quoque cum iis ſal periret, & ita exhauriretur, ut omnino deficeret, cum eum noverimus ſemper adeſſe, & ideo continuo refici. Sed quantum ſal iſte a ſale diſtat quorumdam ciborum! Nam ſales nativi herbarum, denique pomorum, plerorumque vegetabilium, ita non ſunt alcaleſcentes, ut potius ad acidam, alii ad neutram naturam accedant. Reliqui cibi ſunt ex animalibus, in quibus ſal idem eſt, de quo quærimus, aut parvo certe tantum gradu diſtans pro varietate animalium. Sed animalia ſi graminivora ſunt, utique tota ex gramine ſunt, totuſque ex. gr. bos, ut habet Boerhavius, gramen fuit, ideoque ſal, qui ex iis educitur, ex vegetabilibus

---

(a) *Operat. chemic. p. 2. in animal. proceſſ. 98.*

(b) *Boerhav. ibidem. proceſ. 114.*

libus primo ortus eſt: ſi carnivora, alia animalia, quæ iis pro cibo ſunt, vegetabilibus veſcuntur, reſque eodem recidit. Illud notari volo, cum dico ex vegetabilium ſale intra corpus parari ſalem animalis naturæ, idque vi ipſius corporis fieri, me hoc loco non inquirere, oriatur ne de integro ſal iſte ex mutatis aſſumptis ſalibus, an potius obvolutus, & latens præexiſtat in vegetabilibus, a quibus vi corporis eliciatur, & manifeſtetur. Satis eſt mihi priſtinam perire ſalium naturam, novamque in his alcaleſcentem indolem apparere. Quamquam quid potiſſimum veriſimile videatur, ex iis, quæ paulo poſt dicenda ſunt, intelligetur non obſcure. Acidi igitur ſales, aut acidæ naturæ proximi, atque ab alcaleſcentia valde remoti, qui ſunt quibuſdam in cibis, actione viventis corporis, immutantur, & ad ipſam alcaleſcentiam deducuntur. Hæc autem actio, ut docte, quemadmodum ſolet, Boerhavius explicat, in motu humorum circulari poſita eſt, atque in aſſidua eorum in ſuis canalibus agitatione, validoque attritu particularum eorumdem, & inter ſe, & cum interna canalium continentium ſuperficie. His enim viribus ex chylo ſanguis, deinceps reliqui humores fiunt. Quapropter ubi languent hujuſmodi vires, partiumque corporis firmarum debilitas eſt, notum eſt mutationem illam minus bene procedere, & acidum in corpore ſupereſſe. Quo in caſu quæcumque attritum eum, quem dixi, concitant, atque augent, firmarum partium debilitati opitulantur, eamdemque mutationem juvant, ut frictio, & exercitatio. Atque in gravi febri, in qua attritus validus eſt, mutatio quoque ſalium acidorum citius procedit. Remediaque, quæ adhibentur, ubi mutatio

iſta difficilius peragitur, ejuſmodi ſunt, ut firmas partes roborando, & ſtimulando, attritum augent, ut ferrum, aromata. Quæ cum ita ſint, nemo non videt, tot advenarum, & differentium inter ſe ſalium naturam in naturam ſalis proprii corporis animalis per gradus quoſdam tranſire actionis, & potentiæ neceſſariæ: neque id ſubito, quodamque quaſi fermento fieri, ut quidam voluerunt. Quo magis autem actio iſta procedit, eo magis alcaleſcentes fiunt ſales, viribus corporis in hos diutius agentibus. Eademque actione oleum quoque, quod in ſanguine eſt tenuius, acrius, volatilius, fœtidius fit. Hoc enim ſemel hic dixiſſe ſufficiat, pari gradu cum ſalium alcaleſcentia, has qualitates in oleo augeri. Verum ad quem alcaleſcentiæ gradum perduci ſales iſti poſſint hac viventis corporis actione, nemo facile determinaverit. Expedita utique ratio eſſet, ſi illos interdum omnino alcalinos fieri conſtitiſſet. Sed hoc ab omnibus fere, qui in his rebus verſati ſunt, negari ſolet: nam contendunt, humores, dum in ſuis vaſis adhuc moventur, in quo, ut dixi, vis poſita eſt mutationis ejus, quæ in ſalibus apparet, quacumque velocitate, atque attritu moveantur, numquam vere alcalinos fieri, utut eo quamproxime accedant. Propterea in validiſſimis febribus ſanguinem, qui prope mortem reſolutus eſt, tamen alcalinæ naturæ numquam eſſe. Interea Mortoni quædam extat obſervatio, quam ſæpe laudatus Swetenius excitavit, eaque propoſitæ ſententiæ contraria. Habet enim, ſanguinem in febre maligna quaſi eryſipelatoſa fęminæ e vena miſſum, adeo fœtidum fuiſſe, ut ex ejus tetro odore, tam chyrurgus, quam adſtantes in animi plane deliquium inciderint.

De

De qua obſervatione quid ſentiendum ſit, ſine auctoris offenſione, veritatiſque injuria, alii viderint; mihi quidem non ita diſtincte relata eſſe videtur, ut dubitari non poſſit, fœteret ne ſanguis in ipſa miſſione, an aliquanto poſt; quod mirum minus ei videri poſſet, qui ſummam in illo putredini, atque ideo alcalinæ naturæ vicinitatem fuiſſe concipiat, ipſamque putredinem aeris acceſſu protinus factam eſſe. Nam illud monſtro ſimile eſt, in ſanguine e vena ſaliente fœtorem tantum fuiſſe, ut præ illo adſtantibus anima deficeret, quod de putridiſſima alvo, aut urina interdum vix dici poteſt. Itaque optandum erat, ut fuſius, & curioſius obſervationem ſuam expoſuiſſet Mortonus, quemadmodum Svvietenius fecit in ſua tradenda. Nam cum in virgine, quæ ex putrida ſynocho decumbebat, urinam vere alcalinam inveniſset, monet eam in aperto aere tres horas fuiſse priuſquam ipſe experimentum inſtituiſset: (a) *forte, & diu in veſſica hæſiſſe, antequam excerneretur, ægrumque poſt octo horas periiſſe.* Ex quo facile intelligi poteſt, eam urinam non ex ſanguine alcalinam ſecretam fuiſse, ſed propter moram primum in veſſica, deinde in aere aperto talem factam eſse. De quo nemo dubitat, quin fieri poſſit. Sed hic quæritur, num qui intra ſuos canales fluunt humores, coactione, quam expoſui, umquam vere alcalini fiant. Quod Boerhavius fere negat, neque ulla profecto ſatis certa obſervatione probari poteſt. Humores autem effuſos, & cavitate ali-

(a) *loc. ſupracit.*

te aliqua, etiam intra corpus ſervatos, maxime ſi aeri acceſsus ſit liber, putreſcere, & vere alcalinos fieri, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Sed id alia omnino vi perficitur, quam ea, quæ modo dicta eſt. Quæ enim in ſtagnantibus humoribus oritur mutatio, a putrefactione proficiſcitur, quæ, & in animalibus, & vegetabilibus communis eſt, propter quam, & citrea poma, & acetoſa herba, quæ acida ſunt, mutantur, & alcalinum ſalem exhibent. Sed cum ſæpe in medicorum ſcriptis putrefactionis vocem legamus, ſcire licet, humores dum per vaſa fluunt, veram putrefactionem non ſuſcipere. Ipſe enim humorum circuitus eos a putredine tuetur, quo ſublato, vita eripitur, tumque putredo exoritur. Ideoque cum circuitus ad alcaleſcentiam tantum ſales deducat, atque putrefactio eos omnino alcalinos faciat, hæcque numquam fiat, humoribus adhuc circumeuntibus, neutro modo ſalem alcalinum in humoribus per vaſa fluentibus naſci apparet. Quæ cum ita ſint, evidens eſt, quod initio dicebam, alcalinam acrimoniam, & ex ea dictum ſcorbutum, revera nihil aliud ſignificare, quam eam humorum indolem, quæ modo plus, modo minus ad alcaleſcentiam tendit, & ſic, ut, quoniam ipſe ſanis humoribus proprius ſal alcaleſcens eſt, ſi humorum conſtitutio, atque principiorum, quæ eos componunt, commixtio ita turbetur, ut ſalinæ particulæ tantum quantitate, & vi ultra cæterorum principiorum particulas proportione polleant, neque tamen ad majorem alcaleſcentiam evectæ ſint, eam acrimoniam, ejuſque effectum ſcorbutum ad alcalinam ſpeciem referre oporteat. Quare videntur non recte illi facere, qui hanc acritatem, quia ſolum

ſalſedinem quamdam præſefert, in muriaticam ſpeciem conjiciunt. Diſtat enim toto Cælo natura ſalis humorum animalium proprii a maritimi ſalis natura. Neque intereſt, ſi hujuſmodi acrimonia longe abeſt ab acrimonia vere alcalina, quæ cum in humoribus talis exiſtat, numquam ejus nomen ei conceditur, quæ ad ipſam accedit. Hæc autem acceſſio, modo major eſſe, modo minor poteſt, prout cauſæ validiores ſunt, aut plures concurrunt ad ſalem acriorem volatilioremque efficiendum. Nam animalium humorum ſal, quo plus ad alcalinum ingenium accedit, eo etiam volatilior fit. Ex quo intelligitur, acrimoniam, & ſcorbutum alcalinum de volatili eſſe, non de fixo alcali. Nam fixus alcalinus ſal, ut habet Boerhavius, (a) *talis numquam apparet, nec in animali, nec vegetabili, nec foſſili materie. Sed naſcitur ex ſolo vegetabili per ignem violentum tantum. Eſt ergo ignis proles nata de vegetantibus combuſtis in cineres.* Quod ſi ex cibis intra corpus ſal alcalinus fixus confici numquam poteſt, neque ullo experimento, ipſaque deſtillatione ſanguinis, & copioſæ urinæ inventus eſt, unicus alicui videri poteſt reſtare caſus acrimoniæ alcalinæ fixæ, ubi ſal iſte pro medicamento aſſumitur. Sed primo is, ſi vere alcalinus eſt, raro adhibetur propter ſummam ejus adurentem acritatem. Sed ſive is, vel ſolus, vel cum oleo mixtus, ut in ſapone, ſive illi adhibentur ſales non quidem omnino alcalini, ſed alcalinæ naturæ proximi

(a) *Tom. 1. Chim. part. 7. in veget. proc. 12.*

ximi, qui in Pharmacopolis nomine fixorum habentur: horum is modus propinari ſolet a medicis, qui exiguus cum ſit, noxæ eſſe nequit. Quamquam iidem, etiamſi majori copia ſumantur, non tamen videntur, fixam alcalinam acrimoniam excitaturi. Qui cum per ſe inodori ſint, mixti cum aliquo corpore ſalino de natura animali fœtentem, ac pene putridum halitum emittunt, conficiuntque alcalinum volatilem ſalem, qui ante in neutro erat commixtorum corporum, verum nolo videri longus in ea re proſequenda, de qua præclare ſcripſit Boerhavius, rationemque ejus propoſuit in ſuo chymico opere. Quidnam igitur putemus fuiſſe cauſæ, cur aliqui in carbone ex ſanguine per ignem deſtillato ſuperſtite fixum alcalinum ſalem ſe reperiſſe ſcripſerint? Itemque alii ab evaporatione aquei humoris oculorum ſalem lixivum ſe recepiſſe. De quibus experimentis dubitare minime liceret, ſi alia Clariſs. hominum, experimenta, ut omnino dubitandum eſset, non efficerent. Nam Borrichius quidem ſalem illum fixum inter maritimum eſse, & alcalinum propoſuit. Boyleus autem, ut ſupradixi, eumdem maritimo ſimilem judicavit. Deinde Boerhaavius, cujus fides, ſolertia, judicium nemini probari non poſſunt, multis, variiſque experimentis modo citatis rem aggreſsus, numquam fixum illum alcalinum ſalem obtinuit, ſed quidquid ſalinum ex fęce ſuperſtite eduxit maritimi ſalis naturam habuiſse profeſsus eſt. Quare cum tot, tantorum Virorum experimenta, quibus negari poteſt fixum illum alcalinum ſalem educi paucis obſtent, quæ ab aliis, inſtituta ſunt, quid decernendum ſit jam apparet, præſertim cum VVieuſsenius obſervatio-

vationes ſatis ſibi conſtare videantur: quod perſpicaciorem quemque fugere nullo modo poteſt. Quæ cum ita ſint, evidens eſt, opinor, quænam vera ſit alcalina acrimonia, ejuſque ſoboles ſcorbutus, & in his lædens alcali cujuſnam ſit naturæ. Cauſarum autem, quæ hanc acrimoniam inducere conſueverunt, una dicta eſt, nimius humorum circumeumtium motus, & attritus: altera poſita eſt in tardo adeo humorum circuitu, ut non ſatis ab ea mutatione illos tueatur, quæ proxima eſt putrefactioni. Quamquam enim putrefactio, ubi motus aliquis ſupereſt, non perficiatur, certum tamen eſt, ubi is maxime lentus eſt, ejus quamdam velut inchoationem fieri. Ea res, ut ſerius, quam adauctus motus, ſic tamen intra aliquod ſpatium hunc effectum præſtat, (a) magiſque, ſi caloris major quidam gradus accedit; nihil enim plus ad putredinem, quam calor facit. Ergo ſi naturali tempeſtatis, aut artificiali cubiculi, & lecti calore, corpus perfunditur, proclivius ad putredinem exiſtit, præcipue ſi in eo humores lentiſſime moventur. Idque periculum majus eſt, ſi calor cum humiditate conjunctus eſt. Idem potiori ratione contingit humoribus vehementius circumactis, quia tunc externo calori, internus calor accedit, quem aucto humorum motu, augeri certum eſt. Ex quo altera cauſa oritur, quam ob rem majori humorum attritu, ubi vis corporis viventis validior eſt, eorum ſal

(a) *Gorter. de compend. Medic. T. 37. §. 7. 2.*

P

ſal volatilior, & prope alcalinus fiat. Nam id a calore facile preſtari poteſt. Ideoque non modo attritus, in quo ipſo magna vis ineſt, hoc per ſe facit: ſed quoniam majorem ignearum particularum quantitatem in corpus trahit, ab his in ſua actione adjuvatur. Clariſs. Gorterus etiam inediam inter cauſas putredinis collocavit, neque injuria, quamquam, ut ſuperiori libro dictum eſt, inedia privatio eſt. Sed ipſa vis corporis viventis, quæ naturaliter ex aſſumptis cibis humores alcaleſcentes facit, quæque ſi major eſt, majorem alcaleſcentiam iis inducit, eadem, ſi non quidem majori efficacia, ſed longiori ſpatio, iiſdem applicatur, eumdem tamen effectum præſtabit, ut humores acriores, volatilioreſque, magiſque alcaleſcentes fiant. Id ne contingat, aſſumptus ſubinde cibus facit, ex quo paratus chylus ſanguini affunditur blandus, ſubdulcis, & ab alcalina indole remotus, qui humorum acritatem lenit, ac temperat, donec ipſe quoque eadem actione acris, & alcaleſcens fit: tumque nova cibi neceſſitas eſt. Eademque ratio eſt, ſive cibus deficit, ſive ex eo factus chylus, in ſanguinem non venit, aut certe minima copia, ut in magna glandularum meſenterii obſtructione, aut ductus thoracici compreſſione, vel ruptura: ſive ubi venit, ſtatim elabitur, ut in nimia lactatione, ut in diabete &c. qui caſus pro totidem putrediniſca uſis ab eodem Gortero proponuntur. Et ſunt profecto, ſed omnes ex uno fonte manant. Hactenus recenſitæ cauſæ acrimoniæ alcalinæ ejuſmodi ſunt, ut appareat, omnes cibos, & potiones, in corpus ingeſtas, ad eam trahi poſſe. Cum enim acida vegetabilia, quæ alcalinæ naturæ prorſus contraria ſunt, per has cauſas intra corpus muten-

mutentur ſic, ut in alcaleſcentiam abripiantur, materiam alcalinæ acrimoniæ, & a materia animali ſuppeditari, & a vegetabili, manifeſtum eſt. Sed eſt tamen in hoc ipſo ingens diſcrimen, de quo dicam paulo poſt. Intelligi quoque poteſt, his cauſis conſideratis id, quod variis locis ſuprapoſitum eſt, alias ſcorbuti ſpecies noviſſime in alcalinam non raro verti. Quod de rancida, propter humorum habitum ab alcaleſcentia non remotum, perſpicuum eſt. Neque valde poteſt eſſe obſcurum de acida. Nam lentus humorum motus, & ſtagnatio, huic ſpeciei maxime propria eſt, & morbo in pejus verſo, fere febricula accedit, quæ ſtagnantes paſſim humores interdum etiam a canalibus, acrimonia eroſis, illic, atque illic effuſos, majori calore fovet, & ad mutationem putrefactioni proximam compellit. Neque deſunt aliæ rationes, quæ deduci ab iis, quæ ſupra dixi, facillime poſſunt. Quæ etiam de muriatica ſpecie veræ ſunt, quemadmodum ſupra animadverſum eſt, eo loco, in quo de ea ſermo eſt inſtitutus. Quamquam autem cujuſcumque naturæ cibi, & potiones materiam alcalino ſcorbuto quodammodo præbere videantur, ſi cauſæ accedant &c., quas propoſui, tamen in his magnum diſcrimen eſſe ſolet. Nam cum acidæ res omnium difficillime ad alcalinam naturam tranſeant, deinde aliquanto citius, ſed tamen ſatis difficulter aceſcentes has non modo non conferre ad ejuſmodi acrimoniam, ſi reliquarum cauſarum moderatio ſit, verum etiam contra eam humores tueri intelligimus. Res vero alcaleſcentes non poſſunt niſi acriores fieri, & ad alcalinam naturam magis accedere, prompteque talem acrimoniam concitare: & multo magis, quæ jam alcalinæ ſunt, ut

aqua, & caro putrida, quæ materiam, & cauſam alcalino ſcorbuto ſuppeditant. Inferunt enim in corpus ipſum alcalinum ſalem, qui unicus caſus eſſet, in quo alcali in humoribus reperiri poſſet, ſi in iis ſatis longo tempore perſtaret, neque avolaret quam citiſſime. Illud notandum eſt, tum demum eum nocere, cum ita humores infecerit, ut eorum proprium ſalem in eamdem prope acrimoniam evexerit. Quæcumque enim aut vere alcalina, aut fere talia cum humoribus animalium commiſcentur, ad putredinem eos declinare faciunt. Jam vero non modo cum cibo, & potione, ſed alia quoque via hæc alcalina in corpus venire poſſunt. Dixi priori libro quomodo corpus ſubeant, & cum ejus humoribus commiſceantur exhalationes, quarum aer plenus eſt. Quæ ſi putridæ ſunt, & alcalinæ, quales fere eſſe eas, quæ circum paludes volitant, propoſui, a quibus etiam ſcorbutum accerſiri, aut foveri monui, ea quo tandem modo lædant, & cujus naturæ acrimoniam, ac ſcorbutum ſuſcitent, intelligi poteſt. Poſtremo ad id faciunt, quæ prope alcalina, intra corpus vi ipſius orta, & naturaliter excernenda, vitio aliquo retinentur, ut perſpirationis materia, putridæ particulæ a fæcibus in ſanguinem cedentes, ubi diu, & ſæpius alvus ſuppreſſa eſt. Ac perſpirationis quidem ſuppreſſio, aut imminutio, quæ interdum propter aeris nimiam humiditatem, aut craſſitiem, aut aliis de cauſis contingit, quantum ad ſcorbutum faciat, eodem in priori libro explicatum eſt.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De ſcorbuti ſymptomatum explicatione.

Poſt hæc, quæ de ſcorbuti natura communiter, proprieque de ejus ſpeciebus dicta ſunt, plana, & evidens, opinor, ratio eſt, malorum omnium, quæ eidem aſſociantur, & idemtidem ſuccreſcunt. De quibus tamen pauca ſubjiciam, quia, ut ſupra poſitum eſt, etiam per hæc in cognitionem naturæ morbi venitur: viciſſim vero, ipſius morbi explicata natura, ſymptomata melius intelliguntur. Deinde conſuetudini quoque ſerviendum eſt, ob quam, hiſce præſertim temporibus, niſi ſymptomatibus omnibus explanatio adhibita eſt, non putant, morbi naturam, & cauſas medentem cognoviſſe. Neque id reprehendo, ſed modum quemdam requiro, ne ſui muneris obliti medici, in hæc quaſi diverticula delabantur. Sed veterem hanc animadverſionem ne nimis urgeamus. Ego in hac re agam ſummatim: primumque craſſities humorum conſiderabo, quos effectus gignat, deinde tranſibo ad contemplationem acrimoniæ eorum, & perquiram, quorumnam ſymptomatum cauſa ſit: ultimo loco, firmarum partium debilitas quid efficere poſſit, expendam. Igitur craſſitiei illius, quam in altera ſanguinis parte adeſſe propoſui, primus effectus, eſt difficilis trajectio ſanguinis ipſius per ultimas canalium anguſtias. Sed craſſities interdum eſt etiam in ſero, quod dixi in ſanguine e vena miſſo nonnumquam concreſcere. Quare difficilis humoris trajectio non in rubris ſolum vaſis, ſed etiam in albis, ſive ſeroſis contingit. Hinc quot alii ſequantur

tur

tur effectus, nemo non videt. Et primum vaſorum obſtructio oriri poteſt, ex hac & inflammationes, & tot tumorum genera, quæ in ſcorbuticos incidere conſuerunt. Eademque obſtructio in jecinore, in liene, in aliis viſceribus facta, plura alia mala ſuſcitat, regium morbum, hydropem &c. Febreſque tam variæ, tam mutabiles, tam diuturnæ, ſæpe viſceris alicujus vitium, ut eam ipſam jecinoris, & lienis obſtructionem, ſæpe communem hanc craſſitiem pro cauſa habent. Fit quoque propter vaſorum obſtructionem, ut fluxus humorum in vaſis minoribus impediatur. Hinc atrophia, & imminutæ, aut deficientes ſecretiones excretioneſque. Ideo inter cætera ſpirituum animalium ſecretione, aut fluxu impedito, vel imminuto, aut aliquo modo turbato, & laſſitudo, & corporis gravitas, & torpor, & tremor ſequitur. Quo multum etiam confert vaſorum diſtentio, quæ fit propter obſtructionem. Per eam enim circumpoſita minora vaſa comprimuntur, ex quo eadem mala oriuntur, itemque alia non multum diſtantia, apopletici quidam, & lethargici, inſultus, nervorum reſolutiones, convulſiones, vertigines &c. leviter compreſſo cerebro, vel nervis. Dolores etiam illos gravativos hæc ipſa movet vaſorum diſtentio, quæ fibrillas diſtrahit. Tum, ſanguine difficilius arteriæ pulmonalis fines tranſeunte, ſpirandi difficultas, cordis palpitatio, &, dextro hujus ſinu enormiter repleto, anxietas premit, maxime ubi animi, vel corporis motu aliquo ejus circuitus concitatur. Et anxietatis cauſa ipſa quidem eſt ſanguinis craſſities, ſed hæc interdum hujuſmodi vaſorum opletionem in arteria pulmonali, & dextro cordis ſinu, interdum in vena portarum facit, anxietate æque

ſucce-

ſuccedente. Neque enim multum intereſt, propter oppletionem arteriæ pulmonalis impedimentum cordi dextro naſcatur, quominus ſanguinem, quem accipit, effundat, an ſiniſtro cordi id accidat, ubi poſito obſtaculo in vena portarum, arteria magna ſanguinem acceptum pro portione ſuis ramis dare non poteſt, ideoque alteri ſanguinis quantitati, e corde ſiniſtro advenienti, prior obſtat, corque ipſum evacuari vetat. Tam cæliaca, & meſentericæ arteriæ, obſiſtentibus comparibus venis, non deplentur, imo infarciuntur: ramis autem infartis, in trunco quoque idem fieri neceſſe eſt. Plura me addere de craſſitie ipſa etiam rei perſpicua ratio non ſinit, non modo ea, quæ hoc eodem propoſito a Svvietenio nuper ſcripta ſunt (*a*). Illud non præteribo, quod monui etiam cum de natura ſcorbuti verba facerem: procedente morbo, craſſitiem tolli, humoreſque ſolutos, & acerrimos fieri. Tunc & colliquativi manant ſudores, & alvus fluit ſic, ut ægrum exhauriat, & ſanguis erumpit, aliaque plura fiunt. Quibus in caſibus ſummam humorum acritatem, quæ vaſis ad eos effundendos, exprimendoſque ſtimulum afferat, ipſaque erodat, ſi quis accuſare velit, non equidem repugnem: ſed ipſam etiam humorum tenuitatem conſiderandam eſſe cenſeo, ob quam facile e vaſis elabantur. Quin etiam ſi propter eamdem tenuitatem, iidem in non ſua vaſa confluant, oſtia quidem minorum vaſorum intrantes, ſed impares utlimis finibus ſuperandis, rurſus

(a) *Comment. ad Aphor. Boerh. de Scorb.*

rurſus obſtructionem faciunt, quæ eſt errore loci: & fere eadem contingere poſſunt, quæ ex craſſitie fieri indicavi. Etiam ab iis, quæ de humorum acritate dici multa poſſunt, paucis me expediam. Ad eam igitur pertinent tot, & tam varia irritamenta, a quibus ſæpe numero multiplicia, & mirabilia phęnomena ſuſcitantur. Nam in filamentis corporis animantium ea qualitas dudum cognita eſt, ob quam ſi ab alio corpore, maxime ſi illud aſperum, & acre eſt, tanguntur, ſeſe contrahunt, atque conſtringunt. Hanc enim irritabilitatem vocant. Itaque acritate irritati, contractique canales, fiunt nova cauſa impediti fluxus humorum, atque ideo obſtructionis. Ex quo cum multa alia, tum illud perfacile intelligi poteſt, quamobrem poſt ejuſmodi irritamenta, dolores, torpor, & levis illa, ac brevis, interdum etiam gravior, nervorum reſolutio conſequatur. Jam vero & contractiones, & nervorum diſtentiones eamdem cauſam ſępe agnoſcunt, & hæ quidem evidentiſſime, cum fere poſt eadem irritamenta naſcantur, a quibus in aliis nervis ſpirituum influxus, aut intercipitur, aut imminuitur, in aliis concitatur, iis nempe, qui ad muſculos antagoniſtas perveniunt. Eodemque referendi ſunt, & tendinum ſubſultus, & frequentia ſternutamenta, & tuſſis, & ſpirandi difficultas Thoracis muſculis irritatis, ipſiſque pulmonum contractis fibris, & ventris inflationes, ac murmura, aliis inteſtinalis fiſtulæ villis criſpatis, aliis ab contractione immunibus. Sed animadvertendum, utrum hoc irritamentum ejuſmodi ſit, quod vaſcula ita conſtringat, ut omnino liquidorum in iis fluxio ſupprimatur; an ſtimuli tantum loco ſit, ut majori vi humores

mores per illa propellantur, atque effundantur, ut lacrymas effluere, oculo irritato, propter acre illapſum, ſalivam proſilire, ſapida aliqua re linguæ admota, obſervamus: Hæc effectuum varietas, non videtur, niſi a diverſo irritamenti gradu, proficiſci. Ergo diuturni illi alvi fluxus, & vomitus, & ſalivæ, lacrymarumque identidem revertentes profuſiones, aliaque hujuſmodi, plerumque hanc ſtimulantem acritatem pro cauſa habent. A qua tot etiam dolorum genera repetenda ſunt rodentium, lancinantium, de quibus præſertim male haberi ſcorbutici ſolent. Acria enim vaſculorum, per quæ fluunt, fibris infixa, quaſi totidem cunei, eas diſtrahunt, eoque magis, quia, vertice inter fibræ partes penetrante, baſis extat, impetumque excipit partium illuc propulſarum, eumque totum illi tantum parti fibræ communicat, cui inhæret, cum aliis ſimul partibus communicari debuiſſet. Atque hæc acrium vis jampridem nota eſt. Notum eſt etiam, a diſtractione, quæ nervoſis fibris, cerebro ortis, rupturam intentet, dolorem moveri: quamquam viri doctiſſimi aliter ſenſerint. Qui dum impeditum ſpirituum fluxum doloris cauſam eſſe affirmant, fatentur tamen, tale impedimentum ſe intelligere, quod vel arctando, vel comprimendo, vel extendendo fiat: a quo fibras ipſas violenter diſtrahi perſpicuum eſt. Neque diximus, quemadmodum illi putant, ipſam fibram, ita affectam, eam mutationem ad commune ſenſorium deferre, ut in mente excitetur doloris idea. Damus perlibenter, animalium ſpirituum hoc munus eſſe; ſed volumus, animales ſpiritus, tunc ad ſenſorium commune eam mutationem deferre, cum fibra nervoſa ad eum, quem antea dixi, modum afficitur.

tur. Itaque ut in viam redeam, dolores, & capitis, & oris totius interni, & thoracis, & ventris inferioris, & artuum, qui adeo varios, adeo multiplices morbos repræſentant, inter acritatis effectus potiſſimum referre licet. Denique acritas filamenta erodit, & vaſa diſſolvit, qui peſſimus omnium effectus eſt. Inde enim non modo ſcabies, impetigo, totque puſtularum genera oriuntur, quibus ſumma cutis in ſcorbuticis affici ſolet, & maculæ, & mala ulcera: verum etiam ſanguinis profuſiones ex ipſis viſceribus tabefactis, quæ vitam repente eripiunt. Verum ut ad ea irritamenta revertar, quæ ab acritate fieri dixi, quæque contractiones, convulſiones inducunt, poſt hæc reſolutiones quoque nervorum, ſæpe, ut vocant, imperfectas ſic, ut, motu ſublato, ſenſus ſaltem aliquis ſuperſit, ſcire licet, acritatem fere numquam, aut certe rariſſime, agere in communem nervorum originem, ſed ut plurimum in ſingulos nervos, ſæpiſſime in nervorum ganglia. Non quod tenuiſſimum liquidum illud, quod ſpiritus animales vocant, & intra minutiſſimas nervorum fiſtulas perfluit, acritate inficiatur, quæ quorumdam ſententia non valde probabilis videtur: ſed in ipſis nervos inveſtientibus membranis, & in celluloſa interpoſita tela vaſa ſunt frequentiſſima alba, quædam etiam rubra, quæ craſſiora, & acria liquida recipere poſſunt. Quod in gangliis manifeſtius eſt, ut ipſe ſignificat ruber eorum color. Hiſque ex vaſculis humor videtur ſecerni is, qui fibras inter nervorum reperitur, eoſque exterius alluit, quem ideo ſuccum nervoſum appellant, ut a ſpiritibus, qui ſunt intra ipſas fibras, eum diſtinguant. Qui quidem ſuccus cum limpha quædam ſit, utique

que per ſcorbutum inficitur, non modo acritate, ex irritamenta proveniunt, verum etiam craſſitie quadam, qua quæ obſtructiones facit. Quamquam ipſa per ſe irritamenta vaſcula conſtringendo, ut hæc obſtruantur, efficiunt. Itaque in hyſtericis, hypocondriaciſque, in quibus morbi ſymptomata ſæpe ſæpius circa nervos verſantur, ganglia ipſa male affecta, inciſis cadaveribus, inventa ſunt. (*a*) Sed de ſtructura gangliorum egregie a ſummo viro Lanciſio ſcriptum eſt in ea diſſertatione, quam ad celeberr. Morgagnum miſit: in qua de affectionibus quoque gangliorum multa memoria digna poſita ſunt: tum claris. Gorterrus ſuas ipſe quoque obſervationes produxit. (*b*) Ideo pluribus, quæ in hanc rem dici poſſunt, omiſſis, quæ apud eos ſcriptores aut fuſe deducta, aut certe indicata ſunt: illud tantum attingam, quod ad rem nunc pertinet: dolores quosdam ſecundum nervorum progreſſum torquentes, atque externarum non ſolum partium, ſed etiam internarum, viſcerumque inrritamenta, contractioneſque, & vagas nervorum reſolutiones, quæ unam tantum corporis partem, neque ſemper eamdem, ſed modo unam, modo alteram infeſtant, frequentiſſime in nervis, maximeque in gangliis eorum ſedem habere. Sive enim acritas ipſa vaſcula irritat, conſtringitque, ex quo deinde liquidorum fluxus intercipitur, ſive liquidorum craſſities eadem vaſcula obſtruit, eo redit res, ut fibrillarum diſtractiones, ex quibus dolores, &

Q 2 liqui-

(a) *Apud. Morgag. adverſ. anath.* II. *pag.* 71.
(b) *Compend. medic. tractat.* 15.

liquidorum ſtagnatioaes fiant, ex quibus diſtenduntur vaſa, quæ compreſſione, ſpirituum, fluxum in quibusdam fibrillis aut difficiliorem, aut nullum concedant, in aliis libero, aut etiam concitatiori propter irritamentum exiſtente. Solidorum autem debilitas illa, quæ in ſcorbuto eſſe ſolet, primum hunc effectum habet, ut liquida, quæ per vaſa fluunt, minus aſſimilentur in naturam corporis, ſeu, quod ajunt, cruda remaneant. Ex quo craſſities ipſa, ex hac reliqui effectus ſubſequuntur, quos ad craſſitiem retulimus, & vaſorum obſtructionis, & dilatationis, & compreſſionis, iique eo nempe facilius contingunt, quia in vaſis minor eſt vis ad reſiſtendum. Quod etiam efficit, ut, impulſu interno liquidorum fluentium, maxime acrium, aut vi corporum externe admotorum, facile vaſa diſſolvantur, humores effundantur, rurſusque mala illa naſcantur, quæ ex acritate, vaſa erodente, fieri, modo dicta ſunt. Ac ſi memoria repetamus non ſolum ſugillationes eas, quæ poſt corporis contrectationem velut in pulſu digitis explorando apparent, quas manifeſte vis adpreſſorum digitorum, producit, verum repentinas etiam eorum mortes, qui cum decumbentes ſatis pro ſuo morbo valere viderentur, quamprimum progredi tentarunt, aut in lecto ſuccuſſi ſunt, expirarunt; proclive erit ſuſpicari, motu muſculorum in inceſſu, aut lecti ſuccuſſione, fortius adacta liquida in vaſorum latera, ea in viſcere aliquo, jam labefactato, diſrupiſſe, ut ſanguinem, ad necem uſque, profuderint. Quinetiam ad hanc vaſorum debilitatem referenda eſt illa gingivarum læſio, & corruptio, quæ inter initia quoque morbi contingit: cum ſæpe acritas nondum tanta eſt ut vaſa erodere tam celeriter

poſſit.

poſſit. Nam quod aliqui mollitiem naturalem gingivarum, earumque tenerum habitum accuſant, verum id quidem: ſed tamen plures internæ partes teneriores, molliores que ſunt. Sed, ut ego opinor, quia & ſolida in univerſum debilitantur, & gingivæ molles natura ſunt, & in iis externa vis ad ſolidorum læſionem accedit, illud maxime fit. Hæc vis ciborum eſt, præſertim duriorum, qui neque morſu aggredi, neque poſſunt mandendo ſubigi, quin gingivæ ſimul comprimantur. Ex quo perfacile ſolvi filamenta, rumpique vaſa poſſunt, humoreſque effundi, qui ſtagnando corrumpantur, &, acritate ſuſcepta, eroſionem exulcerationemque faciant. Quæ quidem corruptio, atque acritas celeriter fit, quia externus aer protinus accedit, qui fere ab omnibus aliis internis partibus arcetur, ſi reliquum os, pulmones, & ſtomachum exceperis. Quod magis intellectu facile eſt, odorem malum, ex ore ſcorbuticorum expirantem, ex prompta iſta humorum corruptione oriri, cujuscumque ſpeciei ſcorbutus ſit; quoniam aeris expeditus acceſſus eam citiſſime promovet. Sed cum effectus hujus morbi fere ad has tres cauſas pertineant, tamen perſpicuum eſt, eosdem tamquam cauſam novorum effectuum exiſtere, quorum ideo neque ab craſſitie humorum, neque ab acritate, neque a ſolidorum debilitate proxime origo ſit. Exemplo eſſe poſſunt mala illa, quæ ſupra dixi fieri ex nimia tenuitate humorum; ubi ſcorbuto quædam putredo accedit: & alia quoque, ut ſi, eroſis ab acritate vaſis, in aliqua parte ſanguis ita profluat, ut nervorum diſtentionem faciat. Diſtentio enim a profuſione, non ab acritate oritur. Ab initio tamen repetenda res ad acritatem referenda eſt,

quæ

quæ vaſa eroſit. Idque ſæpe in aliis quoque morbis contingit, ut alia phænomena ad morbum proxime pertineant, alia ad novas cauſas, quæ ſunt ipſius morbi effectus. Neque ideo verum non eſt, cauſam proximam ſcorbuti talem eſſe, qualem propoſui. Hæc, quæ notiſſima ſunt, propterea attingere hoc loco volui, quia ex his illud etiam magis eluceſcit, quod ſatis tamen per ſe manifeſtum eſt: hujus morbi ſymptomata explicari facile in univerſum poſſe reſpiciendo ad ejus naturam. Sed cum ea conſtet ex craſſitie, & acritate humorum, ſolidorumque debilitate, & pleraque ex ſymptomatibus æque ex unaquaque harum cauſarum naſci poſſint, eademque ſymptomata in variis ægris non ſemper eamdem cauſam habeant, alia etiam ex nulla earum cauſarum proxime proficiſcantur, ſed aliam cauſam ab iis profectam agnoſcant: vix, quæ in genere dicuntur, proprie ad ſingulos caſus accommodari poſſunt. Quod ſi præter hæc, illa etiam attendantur, primum quamvis ſymptomata expendantur multa, futurum tamen, ut negotium ex toto exequi non poſſimus, cum alia eſſe a nobis prætervíſa, &, ex alia nova identidem ſuboriri poſſint; deinde quam facile ſit omnia, quæ contingunt, explanare, ubi morbi natura rerum gnaro perſpecta eſt, cauſam quivis intelliget, quamobrem properans ſcripſerim de ſyptomatum ratione.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De Scorbuti ſede.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, niſi quis ea admodum improbat, ſupervacuum eſſe apparet, veterem quæſtionem de ſede ſcorbuti diligentius agitare. Sive enim in liene cum multis, ſive in jecore cum nonnullis, ſive cum aliis in ventriculo, aut in meſenterio, aut in omento, aut in quacumque alia parte eam ponere aliquis velit, perinde a vero hunc aberrare, manifeſtum eſt. Morbus enim iſte communiter in liquidis, firmiſque corporis vitiatis partibus, non in ſingulari aliqua parte quærendus eſt. Nam quod ii, qui pro morbi ſede lienem conſtituunt, viſcus illud melancolici humoris fontem eſſe dicunt, humoris vero hujus exuberantiam internam eſſe ſcorbuti cauſam: primum explicent neceſſe eſt, quid pro melancolico humore intelligant, & eidemne eas omnes qualitates, etiam inter ſe contrarias, tribuant, quas pro varia ejus ſpecie, in ſcorbuto adeſſe antea dixi, an ſecus: deinde humorem illum in liene naſci, & ab eo manare oſtendant. Sed hæc in tanta iſta, qua fruimur, phyſiologiæ luce vel referre pudet. Neque melioribus rationibus utuntur, qui aliis viſceribus morbi hujus ſedem affigunt: quos ideo ſingulos copioſius non eſſe refutandos puto. Paucis igitur me expediam. Nam vulgare illud, & omnibus, quantumvis aliis aliæ ſententiæ addictis, commune argumentum: viſcus, quod ipſi credunt ſcorbuto ſedem præſtare, inciſis cadaveribus eorum, qui hoc morbo extincti

ſunt

ſunt ; inventum fuiſſe male affectum : id vero adeo ipſis utile non eſt, ut potius ſententiam noſtram confirmet. Primum enim requiro, una ſemper eademque, an interdum alia, interdum plures ſimul male affectæ partes in cadaveribus ſcorbuticorum inventæ ſint. Si plures ſimul, cur una potius, quam altera accuſanda ſit, non apparet; ſi interdum alia, jam ipſi fatentur ſuam eſſe everſam ſententiam. Reſtat igitur, ut unam eamdemque partem dicant vitiatam ſemper eſſe, quod veritati repugnat manifeſte. Nam alii jecur corruptum, vel calloſum, (a) vel ſcirrhoſum (b) repererunt: illiuſque vaſa ita compreſſa, ut pæne nulla apparerent, vel abſceſſibus hinc inde refertum, quorum pus in nonnullis duritiem lapideam haberet (c) Alii lienem multo quam par erat majorem, cæterum ſanum, aut etiam friabilem, quaſi concretum ſanguinem. (d) Alii pancreas induratum (e) alii viderunt meſenterium varicoſum (f) & friabile (g) alii omentum corruptum, & putridum, (h) alii renes abſceſſibus repletos. In thorace quoque pleuram, pulmonem, pericardium, diaphragma quandoque ſimul adnata, & in unam informem maſſam concreta: nonnumquam pulmonem maculis interſtinctum, aut purulentum, aliquando pericardium eroſum, corque

(a) *Reuſnerus ad Scorbut. Exercit.* 4.

(b) *Gregor. Horſti. T.* 2. *lib.* 9. *obſervat.* 4.

(c) *Barthol. Hiſtor. anath.* 53. *cent.* 1.

(d) *Gregor. Horſt. loc. jam citat.*

(e) *Brengger. diſp. d. Scorbut. Theſ.* 3.

(f) *Foreſtus lib.* 20. *obſervat. Schol.* 2.

(g) *Apud. Theoph. Bonet. ſepulc. anath. T.* 2. *pag.* 1014.

(h) *VVarthon. adenograph. cap.* 2.

que ipſum exulceratum, ejuſque auriculas ita dilatatas, ut pugnum magnitudine æquarent, obſervarunt. (*a*) Nec caput immune fuit. Nam in cadavere ſcorbutici cartilaginea excreſcentia inventa in dura matre prope falcatum proceſſum, quæ veſtigium in cranio impreſſerat: tum inter duram, & piam matrem lacuna ſero turgens, quæ unius digiti capax erat, eodemque ſero repleti cerebri ventriculi. Quid? ſi muſculi nigri, fracidique, aut pure circumfuſi: quid? Si ligamenta eroſa: quid? Si oſſa nigra, & carie affecta inventa ſunt hæc breviter indico & ex parte tantum. (*b*) Sed tamen dicant, quam potiſſimum partem ſcorbuto pro ſede aſſignarent velint ii, qui ex his, quæ læſa in ſcorbuticorum cadaveribus obſervantur, illam cognoſci non dubitant. Veniant in medium qui lienem accuſare ſolent, quorum ſententia fere plurimis probabilis viſa eſt. Dicant lienem in ſcorbuticis poſt mortem diſſectis male affectum ſeſe obtuliſſe quam ſepiſſime. At non ſemper. Inſtent interdum viſceris illius vitium non quidem manifeſtum fuiſſe: ſed evinci non poſſe ideo latens, & obſcurum aliquod non ſubſtetiſſe. Reſpondebunt adverſarii hic non de obſcuris ſermonem eſſe, ſed de omnium evidentiſſimis vitiis iis ſcilicet, quæ anathome ipſis oculis ſubiicit. Deinde inſurgent qui Jecur, aut Ventriculum, aut meſenterium pro morbi ſede agnoſcunt, clamabuntque ſe, optime ſe habente liene, non raro aliquam ex iis partibus vitiatam detexiſſe, & contendent pro ſuo

(a) *B. rtholin. Loc. ſupracit.*
(b) *Paupart. Academ. des Scienc. 1699.*

R

ſuo jure in illa ſedem ſcorbuti poſitam fuiſse. Nam illi. Si, quod interdum lien vitiatus eſt, in eo ſedem morbi collocant, parem rationem ſe habere quiſque dicat, qui alteri parti hoc idem tribuat, quod eam non infrequenter læſam repererit. Quæ ſi aliqua veri ſpecie dicuntur, quæro ego, quid reſtet, niſi ut in muſculis quoque, aut oſſibus ſcorbuti ſedem aliquis reponat. Sed Viros iſtos effectus morbi ſefellerunt. ut ſi quis alicujus, qui putrida febre periit) viſcera perſcrutans, ventriculum, & inteſtina, gangræna corrupta, inveniens, erret, ſi in his partibus febris ſedem conſtituat, indeque morbi initium repetat, ubi ultimus ejus effectus conſpicitur: ita illi vitiata viſcera ſpectantes, a morbi effectibus decepti ſunt. Sive enim lienem, ſive jecur, ſive ventriculum, ſive alia viſcera, aut muſculos, aut oſſa vitiata, corruptaque invenerimus eorum corpora incidendo, quos ſcorbutus ſuſtulit: id fere ad effectus morbi iſtius pertinebit, quemadmodum ex iis intelligi poteſt, quæ expoſui capite ſuperiori. Quod etiam ex eo apparet, quod non eędem in omnibus partes afficiuntur. Poteſt enim ad id morbi gradus poteſt morbi cauſa, & ſpecies, poteſt ęgri temperamentum, ſexus, ætas, diſpoſitio, poteſt maxime ejus proprietas. Nam, ut egregie Celſus: *raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet*. Quod ſi aliquam partem ſæpius omnino, quam aliam quamcumque ſcorbutus infeſtat, ſi tamen id verum eſt, ratio in partis illius ſtructura, officio, poſitura, nexu &c. quærenda eſt. Quod fortaſſe de liene dicendum eſt, quem frequentiſſime affici multi teſtantur, neque ego repugno: ipſeque non videtur Svvietenius negare, præſtantiſſimi quoque Meadii producta obſervatio-

vatione, qui in ruſtici, ex ſcorbuto mortui, corpore vidit, *igentem lienis molem forma naturali, ſola magnitudine aucta, neque color mutatus erat, nec mollitiem tumor, aut ſcirrhus vitiaverat. Pendebat autem libras quinque, & quartam libræ partem, cum hepar quatuor tantum libras, totidemque uncias pondere æquaret. Subſtantia denique, quæ hujus viſceris natura eſt, laxis fibris, ſuffuſum nigrum colorem viſui obtulit.* (*a*) Quam quidem obſervationem neuter, opinor, Clariſs. Virorum eo produxit, quod pro certo habuerit, lienem ruſtici illius vitioſum fuiſſe, ſed ut indicaret, quid in ſcorbutici cadavere detectum ſit. Proſtant enim exempla, cum ſine ullo vitio lien ſolitæ magnitudinis inventus eſt. (*b*) quale nuper mihi communicavit prælaudatus Leonardus Targa. Is, aliis medicis præſentibus, & chirurgis quoque, anno 1748. quinto Kalend. Decembris Illirici militis cadaver in Noſocomio diſſecuit, annorum quinquaginta, firmo corporis habitu, & valenti, qui cum antea ſaniſſimus ſemper fuiſſet, ut ipſe, dum viveret, interroganti medico teſtatus eſt, & corporis habitus in diſſectione oſtendit, intra quintum diem pulmonis inflammatione extinctus eſt. Omnia ventris viſcera, & quoad externam faciem, & quoad internam ſubſtantiam, optime ſe habere viſa ſunt: lien quoque, qui inſolita mole ingens erat, diligentiſſime luſtratus, nihil ſe a ſtatu naturali receſſiſſe oſtendit. Pendebat autem libras quatuor, totidemque

(a) *Mead. monit. & præcept. medic. pag.* 223.
(b) *Villiſius, & Sennert. loc. jam ſupracit.*

uncias, & profundis quibuſdam inciſuris naturaliter interſectus erat. Quod interdum fieri VVinslovvius jam monuit. Potuit ergo vaſtitas lienis in ruſtico, a Meadio diſſecto, eſſe non morboſa, ut cætera ſigna indicabant. Verumtamen extant aliorum obſervationes ſane copioſæ, quæ declarant, ſæpe vitiatum lienem in ſcorbuticis inventum eſſe, neque lienem modo verum, & jecur, & pancreas, & alias partes. Sed ex iis nihil pro ſcorbuti ſede evinci dictum eſt. Neque nego lienis, jecinoris &c. vitia ad ſcorbutum conferre: immo vero priori libro inter hujus morbi cauſas ea quoque poſui. Verum Scorbutus, neque ſemper ex illarum partium vitiis fit, & ſi quando fit, tamen non ſequitur ſedem iis in partibus habere. Non enim ſi ex. gr. lien male affectus eſt ſic, ut ſpatio temporis ſcorbutus oriatur, ideo humores craſſi, & acres, qui ſcorbutum faciunt in liene præparantur, & ex eo per totum corpus dimanant: ſed turbatis corporis actionibus propter vitium lienis, demum craſſities, & acritas in liquidis, debilitaſque in ſolidis partibus naſcitur, ex quibus is morbus gignitur. Neque vitium illud lienis v. gr. obſtructio, aut ſcirrhus, ſed vitium univerſum humorum, & ſolidorum, quod ex vitio lienis primo natum eſt, ipſum ſcorbutus eſt. Niſi qui ſedem in aliquo viſcere ſcorbuto quærunt, nobis ſignificare volunt, ſe in illo præcipuam cauſam ponere, quam effectus illi ſequantur, quibus ſcorbutus conjunctus eſt, quocumque demum iidem effectus tendant, aut quacumque parte exerantur. Quaſi qui hunc morbum in longa navigatione ex duris, ſalſiſque cibis contrahunt, non in his primam ſui morbi cauſam, ſed in liene, vel jecinore,

vel

vel alia parte habeant, aut cibi iſti acritatem, & craſſitiem liquidis inducere, atque ſcorbutum gignere non poſſint, quin prius lienem, jecur &c. adoriantur, iiſque vitium aliquod afferant. Quod ut quiſque videt, a veritate abhorret. Sed tota iſta quæſtio de ſcorbuti ſede, nunc ut videtur abſolevit. Nolui tamen ſilentio eam præterire pluribus de cauſis præcipue, ut ea magis magiſque conſtarent, quæcumque de natura, & effectibus hujus morbi ſupra comprehenſa ſunt. Deinde, ut in iis, quæ continuo dicentur de ſcorbuto antiquis medicis cognito, quidquid de magnis lienibus, aut humore melancolico occurrerit, id intelligatur ad eorum opinionem de ſcorbuti ſede referendum eſſe. Quæ opinio ſi minus probabilis poſterioribus temporibus inventa eſt, non ideo minus perſpicuum eſſe poteſt, eos morbum eumdem, quem nos ſcorbutum vocamus, jam tunc ſub aliis nominibus deſcripſiſſe.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De ſcorbuti origine.

IGitur ad alteram quæſtionem veniam, quæ ad hiſtoriam ſcorbuti pertinet. Nam alii hunc morbum novum eſſe, & priſcis medicis incognitum, alii contra, illorum ætate jam infeſtum, & propterea perſpectum fuiſſe contendunt. Atque hanc diſputationem, quæ initio hujus operis mei pertractanda fuiſſe alicui fortaſſe videbitur, ego dedita opera aggredi hoc loco volui. Nam qui meas haſce lucubrationes legere non recuſabunt, ii ſi prius ſigna, cauſas, naturam, genera, effectus morbi tenerent, ſperavi fore, ut hanc litem facilius dijudicarent, quæ non ita levis eſt, ut aliqui putant. Audio enim videoque plures eſse, qui affirment, in his noſtris regionibus, numquam, aut rariſſime ſcorbutum inveniri: a quibus ego magnopere diſsentio. Quare ſtudioſe admodum ad veritatem inveniendam nitendum eſt. Num ſi in aliis quibuſdam opinionibus diſcutiendis, licet nobis nonnihil eſſe in curioſis, in hac certe non licet. Quæritur enim, quinam morbus ſit, qui noſtros homines ſingulari modo interdum male habet, quem niſi noverimus, curari non poſse fatendum eſt. Scorbutum vero eum eſse, ut oſtendatur, multum ad id conferet, ſi antea demonſtrari poterit, hunc morbum antiquiſſimis etiam temporibus paſſim ſæviiſse. Rem ad hunc modum ſe habere multi doctiſſimi, eruditiſſimique viri ſenſerunt, quos inter Ronſeus, Lomius, Senertus, VVilliſius, Boerhavius, Fizes, Meadius, Svvietenius, ut longe plures omittam. Quod ſi nonnulli

nulli in aliam ſententiam ierunt, Freindiusque ipſe, vir acris cæteroquin judicii, & in veterum ſcriptorum monumentis perlegendis exercitatus, vix tamen apparet, qua ratione permoti id fecerint. A Freindio ſcorbutus dicitur *morbus recens, neque Græcis, neque Arabibus cognitus* (a) Ne verbum quidem additur ad hanc ſuam opinionem comprobandam. Nam ſi teſtimonium ſatis eſse putat ejus, quem excitat Georgii Fabricii, qui anno 1482. hunc novum, & inauditum in Miſnia morbum erupiſse ſcribit, vereor ne nimium illi tribuere videatur. Sed hoc poſtea videbimus. Interea quantum ego intelligere valeo, duo habere poſſunt, qui negant antiquis temporibus ſcorbutum extitiſse, validiſſima, ut putant, argumenta, quibus ſententiam confirment ſuam; veterum medicorum de hoc morbo ſilentium, & memoriam apud nonnullos ſæculi xv. ſcriptores ejuſdem tamquam recentis. Quorum argumentum alterum, ſi verum eſt, non eſt contemnendum, alterum non magni faciendum. Sed veteres Scriptores de hoc morbo ſiluiſse adeo falſum eſt, ut nobis aliud argumentum non ſuccurrat, quare iis cognitum fuiſse aſeramus, quam ipſorum teſtimonium Hippocratem vetuſtiſſimum Auctorem ſi conſulamus, libro ſecundo prædictorum, qui liber pro legitimo ab omnibus habetur, inveniemus illum ita ſcripſiſse: *Quibus lienes magni ſunt, iis gingivæ vitiantur, & os male olet, quibus autem lienes magni ſunt, neque ſanguinis eruptiones contingunt, neque os male olet, ii in tibiis mala ulcera habent, & nigras*

(a) *Tom. 4. Hiſtor. pag.* 417.

nigras cicatrices. In libro autem de internis affectionibus, quem cum vulgo ſub Hippocratis nomine extet, viri eruditi inter Cnidios referunt, & ideo ipſo Hippocrate vetuſtior eſt: in eo igitur libro duo morbi, his verbis deſcribuntur: (*a*) " Venter inflatur „ poſtea vero lien intumeſcit, durus eſt, eique dolores „ contingunt. Color autem immutatur, & niger cernitur, pallidus, & qui mali corium forma referat, ex „ ore, & gingivis gravis odor exhalat, eęque a dentibus diſceſſionem faciunt, & in tibiis ulcera, qualia puſtulæ nocturnæ erumpunt, membra extenuantur, neque ſtercus per alvum dimittitur." Sic de altero morbo, de altero vero ſic: " Ex ore male olet, „ & gingivæ abſcedunt, & ex naribus ſanguis fluit: „ interdum vero in cruribus ulcera erumpunt, & alia „ ſaneſcunt, alia emergunt, & color niger fit, & cutis tenuis, ad deambulationem, & exercitationem „ minime promptus eſt." Prior morbus lienis dicitur: poſterior Ileos ſanguineus. Tam vero Cornelius Celſus eumdem, quem Hippocrates morbum deſcribens, hæc prodidit. (*b*) " Quibus magni lienes ſunt, his „ gingivæ malæ ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua „ parte prorumpit. Quorum ſi nihil evenit, neceſſe „ eſt in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant." Quo loco ſi Hippocratis auctoritate Celſum uſum fuiſse, quis contendat, id utique Celſi ipſius confeſſione concedendum eſt, cum hoc, ut oſtendamus, eum cum aliis frequentiſſimis morbis, hoc

(a) *Apud Phoeſ. T. 2. pag. 549. de intern. affect.*
(b) *Lib. 4. cap. 9. de lien. morb. & curat. pag. 210.*

hoc quoque adverſæ valetudinis genus, quod ipſe fortaſse non minus frequenter viderat, deſcribendum eſse judicaſse. Eſt etiam Pauli Æginetæ teſtimonium, quod produci ſolet: (a) "hoc preſſis vitio (ſcir„ rho lienis) os fœtet, gingivæ exeduntur, ulcera in „ cruribus cicatricem non recipiunt." Eadem fere, ſed aliquanto fuſius poſterioribus temporibus tradidit Arabs Avicenna. *Et quandoque denigratur lingua ea duritie ſplenis, & ſentitur durities ejus abſque rugitu cum premitur, niſi aggregetur ei inflatio, & non eſt cum ea febris inſeparabilis, imo aliquando eſt non ſecundum ordinem: & quandoque multiplicantur cum ea ulcera crurum, & corroduntur dentes, ac gingivæ propter groſſitudinem ſanguinis, qui deſcendit in ulcera crurum, & corruptionem vaporis, qui deſcendit in omnes partes gingivarum, & quandoque eſt in ulceribus crurum criſis ejus.* Hæc veterum monumenta quicumque velit attente conſiderare, is fateatur neceſſe eſt, in iis aperta ſcorbuti indicia apparere. Si negat jam dicat, quem potius morbum jam indicari credat. Lienis puto, aut atræ bilis, ut Hippocrati, Celſo, Paulo, aliis viſum eſt. Sed præjudicatam illorum opinionem non attendo, hoc quæro: Si medico noſtra ætate æger tradatur: cui os male oleat, gingivæ malæ ſint, ideſt laxæ, exeſæ, ſanguinolentæ, putreſcentes: ſi iis pręterea malum habitum corporis cum malis crurum ulceribus, nigriſque cicatricibus habeat, eique corpus emacreſcat, ſanguis aliqua parte profluat: ſumma ſit pigritia, & difficultas ambulandi: quæ-

---

(a) *Lib. 3. cap. 49. pag. 164.*

quæro inquam quonam eum morbo laborare medicus pronunciabit. Ego arteriarum pulſus explorandos, inſpiciendaſque urinas expoſcerem: tum perquirerem quibus ille ciborum generibus maxime uſus ſit, quæque loca incoluerit, cęteraque inveſtigarem, quæ majorem mihi certitudinem afferre poſſent: neque tamen ſi hæc prænoſcere haud liceret, ægrum ſçorbuto affectum eſſe dubitarem. Adeſt enim ſignum ſcorbuti omnium certiſſimum, gingivarum vitium, cum aliis ſignis perſpicuis conjunctum. Quod ſignum ſi non ſatis eſt ad ſcorbutum indicandum, ut aliqui volunt: reſtat ut exoremus viros iſtos prę-ſtantiſſimos, ut velint nos docere, quanam potiori, certiorique nota uti poſſimus in ſcorbuto dignoſcendo. Profecto hoc gingivarum vitium, quantum ego ſcio, adeo ab idoneis omnibus ſcriptoribus pro certo hujus morbi indicio habetur, ut non modo id præcipuum faciant inter non multa illa, quæ proponunt ſigna pathognomonica: ſed putent ſatis, noſci ſcorbutum poſſe alium morbum ſimulantem, ſi unum illud ſignum appareat. Niſi velint eum ſolum morbum ſcorbutum vocare, in quo gingivæ ſanguinolentæ, fœtentes, & corruptæ in fruſta decidant ſimul cum dentibus, totum corpus croceis, aut lividis maculis, crura malis ulceribus teneantur, doloreſque inferiores artus, & viſcera ipſa infeſtent vagi, & per circuitum redeuntes, ſanguiniſque profuſiones ex naribus, ore, alvo, cute contingant: quæ eorum opinio tanto minus probanda eſt, quanto infrequentius hujuſmodi caſus incidunt: non quo morbus eo interdum non adducat, ſed quo ſæpius medici diligentes remediis pugnant, adducere, ut nequeat, probe ſcientes quantum periculi ſubſit, ſi

malum

malum uſque eo proceſſerit. Quamquam in eo quoque caſu, quem ex ipſorum mente deſcripſi, ſi gingivarum vitium tollamus, non video, quod certius ſignum ſuperſit, propter quod morbum illum ad ſcorbutum potius, quam ad aliud genus referre velint. Nam ulcera, ſanguinis profuſiones, viſcerum, atque artuum dolores, interdum in aliis quoque morbis fiunt. Quid? ſi, ut ipſi contendunt, aliquod gingivarum vitium obſervetur, denteſque vacillent in cachexia, in melancolia, in hyſterica affectione, & in obſtructionibus imi ventris a febribus non recte judicatis, nonne poſſet aliquis, iiſdem auctoribus, pronunciare, morbum illum melancoliam eſſe, ſed illud, opinor, non attenderunt viri præſtantiſſimi, ex cachexia, melancolia, hiſterica affectione, longis febribus, viſcerumque obſtructionibus, proximum eſſe ad ſcorbutum tranſitum. De qua re alio loco dictum eſt. Quodnam vero certius ſignum requiremus, eum tranſitum factum eſſe, quam gingivas jam vitiari cepiſſe? Ita ſi in malo corporis habitu, (cujus ſpeciem ſcorbutum eſſe, imo ſcorbutum a nonnullis καχεξίαν in univerſum dici, initio hujus libri propoſui) gingivæ tumentes, cruentæ, exeſæ, aut putridæ fiant, cur ſcorbutum jam ſubortum eſſe non judicabimus? Idemque in melancolia, longis febribus, aliiſque morbis cur non dicemus? Neque vero diffitemur, non omne gingivarum vitium eſſe ſcorbuti ſiſignum. Nam & ulcera, quæ ἄφτας Græcis, & tubercula, quæ παρυλίδας, & carneæ excreſcentiæ, quæ, ἐπυλίδας iidem vocant, in gingivis fiunt ubi ſcorbutus nullus eſt. Etiam quædam gingivarum intumeſcentia, & eroſio poſt unam, aut alteram febris acceſſionem ſequitur, præſertim ſi acrium ciborum, vinique repletio

tio anteceſſerit. Interdum ex fluxione, ut vocant, aliqua gingivarum pars cum dolore intumeſcit. Atque in cachexia, in qua labra quoque, & internæ palpebræ inalbeſcunt, totumque corpus morboſam quamdam laxitatem acquirit, quid mirum, ſi gingivæ laxiores aliquando, quam oporteat naturaliter, & pallentiores fiant? Ejuſmodi vero gingivarum vitia, quis umquam ad ſcorbutum retulit, eaque pro certa hujus nota propoſuit? Præſertim cum eorum pleraque brevia ſint, & fere in aliqua ſolum gingivarum parte incidant, & ſine alia corporis noxa finiantur. Sed ubi totum corpus a ſanitate receſſiſse manifeſtum eſt, maximeque per id morbi genus, quod ſcorbuto gignendo aptiſſimum eſt, ut ipſa, quæ dicta eſt melancolia, & hyſterica affectio, imique ventris obſtructiones, & lentę febres, non errare mihi videtur, qui judicat, ſi gingivæ prurire, laxari, excreſcere, cruentari, magiſque ſi exedi, fœtere, corrumpique incipiunt, ſcorbutum ſubeſſe. Atque utinam hæc ſui indicia morbus is ſemper præſeferret, minus certe fallerentur ii quoque, qui cum eum non infrequentem eſſe credant, tamen dignoſcere interdum non facile poſſunt. Nam quod eos morbos, quos viri illi pro ſcorbuto habendos eſſe negant, ſe remediis curare ſcribunt amaris, antimelancolicis, quæque obſtructiones tollunt, itemque confortantibus, & roborantibus: ſcire aveo, num ipſi putent, iisdem remediis curari ſcorbutum non poſſe. Nam utique curari putant Auctores maxime idonei Eugalenus, Sennertus, Molenbroccius, & quantum vel ex illius de materia medica libello apparuit, Boerhavius, aliique. Quorum eomagis ſententia mihi probatur, quo experimenta illa reſpondere certius eſt. Nunc ut eo, unde

de diſceſſit, noſtra revertatur oratio, hoc profiteor, me numquam ea, quæ de gingivarum vitiis Aetius ſcripſit, legiſſe, quin ſuſpicarer nonnulla ad ſcorbutum pertinere. Cum enim & de inflammatis gingivis egerit, & de earum tumore, qui παρουλίς, & de excreſcentia, quæ ἐπουλις dicitur, deque iis, qui *gingivas corroſas habent cum tumore, atque dolore, atque etiam quibus a ſerpente ulcere depaſcuntur* (quamquam hæc quoque vitia in ſcorbuto frequentiſſima ſint) ut hæc omittamus, quid dicendum eſt, *de cruentis illis ob bilis acredinem gingivis*? Quid *de calidis illis in ore inflammationibus, & gingivis corroſis, in quibus ſalſæ cujusdam, et mordacis humiditatis ſenſus percipitur*. De quibus omnibus peculiarem ſermonem inſtituit Aetius (*a*) Et paulo poſt remedia propoſuit „ ad gingivarum tumores, easdemque excreſcentes, „ & putreſcentes: tum ad exeſas gingivas, & hu„ more pregnantes: tum ad putredines oris, gingi„ givaſque depaſtas, & cruentatas (*b*) *Paulus quoque* „ ginginvas eroſas, & humiditatis vitio flacidas, & „ tumidas, excreſcenteſque gingivas „ nominavit. (*c*) Hæc ubi cum iis confero, quæ ſupra ex aliis auctoribus propoſita ſunt, non poſſum a me impetrare, ut aliqua ad ſcorbutum pertinere non ſuſpicer. Quod ſi cætera, quæ inter hæc fortaſſe occurrebant, ſymptomata commemorare Auctores iſti non omiſiſſent, haberem unde conjecturam meam ulterius confirmare poſſem. Video tamen clariſs. Cocchium

(a) *Sermon. 8. cap. 21.*
(b) *Sermon. 8. cap. 22.*
(c) *Loc. ſupracit.*

chium ea etiam peſtifera tonſillarum ulcera ad ſcorbutum retuliſſe (*a*) quorum hiſtoriam Aretæus habet, & Ægyptia, aut Syriaca (*b*) appellari ſcribit, atque eadem eſſe videntur cum illis, quæ cruſtoſa, ac peſtilentia ab Aetio vocantur (*c*). Neque dubito quin Vir præſtantiſſimus gravi ratione permotus in eamdem opinionem devenerit: imo certum eſt, ejuſmodi ulcera in ſcorbuto fieri non infrequenter. Verum tamen cum id ulceris genus, quod innuit etiam Alaymius idem videatur eſse, atque illud, cujus Severinus, & Mercatus, aliique Hiſpani ſub nomine *Garotillo* meminerunt, idemque annis proxime ſuperioribus Gallos, & Britannos valde infeſtaſse intelligam ex Halleri viri eruditiſſimi additamentis ad methodum ſtudii a Boerhavio conſcriptam: malo ego integrum in hac re judicium doctiſſimis illarum Nationum Medicis relinquere. Jam vero, quod ad veterum de ſcorbuto monumenta pertinet, ante Aetii, Paulique tempora Strabo (*d*) de duobus morbis ſcripſit, altero oris, altero crurum, quibus exercitus, Ælio Gallo duce in Arabiam ab Auguſto miſsus infectus eſt. Primus Στομακακὴ vocatus eſt, alter σκελοτύρβη. Similem caſum Plinius memoriæ prodidit his verbis: " In Germaniam trans Rhenum „ caſtris a Germanico Cæſare promotis marino tra„ ctu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota, intra bien-

(a) *De vict. Pitagor.*
(b) *Apud. eumd. ibid.*
(c) *Apud. eumd. ibid.*
(d) *Lib. 6. Geograph.*

„ biennium dentes deciderent, compageſque in ge-
„ nubus ſolverentur στομακακὴν Medici vocarunt, &
„ σκελοτυρβὴν ea mala“ (*a*) Scriptores autem nobiliſſimi in hac fuerunt ſententia, morbos illos non alios fuiſse, quam ſcorbutum, quos ego ſequor. Quid enim? Si exercitus illos morbus infeſtavit, cujus hi duo eſsent effectus, qui modo dicti ſunt, quique maxime ſcorbuto conveniunt, ſi in caſtris pleræque cauſæ concurrant, quæ conferunt ad ſcorbutum, ſi quinam alius eſse potuerit is morbus, qui eo modo communiter exercitus duos maſe habuerit, non apparet, ſi poſterioribus quoque temporibus, & noſtra ætate, alii exercitus affici ſcorbuto conſueverunt: quamquam is non eadem mala ſemper attulerit, quid eſt, quamobrem contendamus, eum morbum ſcorbutum non fuiſse? Nam quod Plinius, aut illi, quorum ſententiam Plinius ſequitur, epotæ aquæ fontis cujusdam cauſam morbi aſſignarint, potuerunt errare, ut facile eſt in cauſa inveſtiganda. Recte etiam notat Sennertus (*b*) in ſequentibus temporibus, quibus regiones illæ trans Rhenum magis magiſque cognitæ ſunt, nihil de eo fonte, noxiaque ejus vi conſtitiſſe. Strabo vero eorum malorum cauſam optime rejecit in malam victus rationem. Cæterum etiam Clariſs. Svvietenius nobiſcum, opinor, ſenſit, quamquam ſentire non videatur. Cum enim ſcribit (*c*) vocabulum στομακακὴ ferri poſſe, quod in ſcorbuto oris vitia frequenter occurrant: alterum vero vocabulum σκελο-

(a) *Hiſt. nat. lib. 25. cap. 3.*
(b) *Loc. ſupracit. pag. 285.*
(c) *Loc. jam citat.*

σκελοτύρβη aliam ſignificationem habere, quam ex Galeno producit, ut ideo non videatur ejus definitio ſcorbuto convenire, eos nimirum reprehendit, qui ſcorbutum hodieque ea voce ſignificari poſſe credunt. Ego antiquos medicos, qui illum crurum morbum *commodius nomen non habentes propter affinitatem & ipſum scelotyrbem nominarunt* eos inquam cum Sennerto (*a*) excuſandos non ſuſcipiam, contentus ſi mihi detur, vitium illud ſcorbuti ſobolem fuiſſe. De quo dubitare rerum harum periti ne poſſunt quidem: Locus eſt etiam apud Galenum, (*b*) qui maxime huc facit, & ab ea, de qua loquimur ſcelotyrbe, adeoque a ſcorbuto, videtur nihil diſtare. *Qui in Aeno, urgente fame veſcebantur leguminibus, cruribus vacillabant; qui vero erva edebant, horum genua dolor infeſtabat.* Sane ſi ea attendantur, quæ de inedia tamquam ſcorbuti cauſa ſuperiori libro propoſui, vitia illa a Galeno deſcripta ad ſcorbutum pertinuiſse ſuſpicari poſsumus. Sed qui oſcedinem Sammonico dictam variam, ut videtur, ab eo vitio, quem Gellius memoravit & nigrum icterum, nigramque viteliginem pro ſcorbuto accipiunt, quasnam eos ſuæ conjecturæ rationes habere putabimus? Ego ſic intelligo: ſiquid ſcorbutus priſcorum etiam temporum morbus fuit, potuiſse interdum iis valetudinis generibus ſubeſse, vel ea valetudinis genera ab illo naſci: neque tamen nigrum icterum, de quo Aretæus, Paulus, aliique ex veteribus ſcripſerunt, itemque nigram viteliginem non alius naturæ morbum eſse potuiſse. Multo autem majori veri ſpe-

(a) *Penn. loc. ſupracit.*
(b) *Lib. 4. d. prav. alim.*

ri ſpecie Eruditiſs. Cocchius docuit (*a*) veterum Elephantiaſim non aliud fuiſse, quam ſpeciem acerrimi ſcorbuti, ſequutus, opinor, Etmulerum, qui lepram, ſive Græcorum Elephantiaſim (quas pro uno eodemque morbo habet) *nihil eſſe aliud* tradidit, *quam ſummam, & contumaciſsimam ſcabiei ſcorbuticæ gradum.* Profecto ſiccam, & levem Elephantiaſim interdum in ſcorbuto fieri etiam Boerhavius notavit (*b*). Ac ſi veterum monumentis conſideratio adhibeatur, plura, quæ Elephantiacis contingunt mala communia eſse ſcorbuto quoque, & maxime frequentia intelligemus. Nam Areteus ita habet (*c*) „ ſunt . . . .
„ ſommiculoſi, quieti, ſicca alvo . . . . reſpiratio
„ grave olet . . . . lotium craſsum eſt, album, turbi-
„ dum, quale jumentum reddit: venæ . . . diſtentæ
„ ſub lingua . . . dentes non albi ſunt, ſed nigrica-
„ re videntur . . . . aliter, atque aliter paratorum ci-
„ borum appetentia eſt non obtuſa, ſed guſtatus
„ qualitatis expers . . . . ſpontaneæ ſunt laſſitudines,
„ ſingulorum membrorum ſpecies hominem gravi-
„ tate inuſitata premit, quantumlibet exigua mem-
„ bra ſint . . . . ſpirandi vehemens difficultas, ſuffo-
„ cationes fiunt, ac ſi laqueo ſtrangulentur." (*d*) Fere eadem habet Aetius. Ex his ſymptomatibus quotus quiſque eſt ſcorbuticorum, qui plura non patiatur? Cauſæ quoque, quæ Elephantiaſim inducunt, cum cauſis ſcorbuti prorſus conveniunt: cibi ex pulte

(a) *Loc. ſupracit.*
(b) *Aphor. de cognoſc. & curand. morb.* §. 1151.
(c) *Libr. 2. cap. 13. de Elephant.*

te, lenticula, caſeo veteri, piſciculis cochleis, multiſque ſalſamentis. Eoque morbo illos tentari Aetius tradit, qui victu craſſo, & ægre concoctili utuntur, quique in otio degunt. Dicet aliquis. Etſi in his, quæ propoſita ſunt, ſymptomatibus, cum ſcorbuto Elephantiaſis conveniat, quæ communia ſigna eſse poſsunt, non tamen in iis convenire, quæ propria ejus ſigna ſunt, cujuſmodi judicantur: " tumo-
„ res alii juxta alios ... nondum quidem continui,
„ ſed craſſi, & aſperi, & interſtitium tumorum di-
„ ſciſsum; ideſt totum corpus rugis aſperis exara-
„ tum: ſciſsuræ, quæ alte deſcendunt, velut nigri
„ in corio ſulci ... & nares cum atris tumoribus
„ ſalebroſæ, exaranteſque labiorum prominentia craſ-
„ ſa, pars autem inferior liveſcens .... aures ru-
„ bentes, admixta nigritie, obſtructæ, elephanticæ,
„ ut grandiores conſueto eſse videantur .... malæ
„ craſſiores, & mentum" ego autem rimas iſtas, & ſciſsuras, &, ut habet Aetius, per totum corpus eminentias, præſertim juxta ſummam frontem, & mentum, vera eſſe Elephantiaſis ſigna concipio. Itaque preſſius quam alii, &, ut ego judico, apte omnino Elephantiaſim deſcripſit Celſus, (*a*) ad hunc modum
„ Totum corpus afficitur, ita ut oſſa quoque vitia-
„ ri dicantur. Summa pars corporis crebras macu-
„ las, crebroſque tumores habet. Rubor earum pau-
„ latim in atrum colorem convertitur. Summa cutis
„ inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque, quaſi
„ ſquamis quibusdam exaſperatur, corpus emacre-
„ ſcit, os ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi vetus mor-
„ bus eſt, digiti in manibus, pedibuſque, ſub tumo-
„ re conduntur: febricula oritur, quæ facile tot ma-
lis

(a) *De Elephant. lib. 3. cap. 25.*

„ lis obrutum hominem conſumit.“ Ex quibus quid eſt, quod in ſcorbuto quoque obſervatum non ſit? Sed tumores, craſſities, duritieſque cutis, ejuſque, propter ſquamas quaſdam, aſpritudo, proprie ad Elephantiaſim pertinent. Illa vero oris intumeſcentia, (quæ interdum in ſcorbuto quoque fit) opinionem fecit ſimilitudinis cujusdam inter vultum horum ægrorum, & elephantis vultum. In qua re magis apparet, quid quiſque ſibi perſuaſerit, præconcepta quadam iſtius ſimilitudinis opinione ductus, quam quod revera ſit. Nam rurſus alii ſimilitudinem cum vultu leonis viſi ſunt ſibi videre in Elephantiacis, alii cum vultu ſatyrorum, prout iſti pingi ſolent. Ut vero elephantis vultus a leonis, ita ſatyri ab utriuſque vultu differt. Similitudo vero iſta, ſi qua interdum extat, fortuita eſt, prout facies aliorum ægrorum aliter, atque aliter conſtituta eſt, ut, mutatione facta, huic potius, quam illi vultui accedat: ideoque alios Elephantiacos, leonis, alios ſatyri, alios elephantis vultum aliquo modo repreſentare, ſæpe etiam nullum ex iis. Quod in aliis quoque morbis fieri videmus, ut in Rachitide, in qua interdum pueri aliqui ſimiæ vultum referunt. Ex quo factum puto, ut vulgo is morbus vocetur *male del Simioto*. Ergo ut erraret quicumque vellet Rachitidem ex iſta vultus ſimilitudine dignoſcere, ita non meliori ratione uteretur, quicumque elephantis, leonis, vel ſatyri vultus comparatione, tamquam præcipua nota, Elephantiaſim noſci crederet. Ideoque Celſus hujus rei nullam fecit mentionem. Idemque & Aetius quoque prætermiſerunt depilationem, & calvitiem illam, ab Aretæo animadverſam, quam ſæpe contingere credibile eſt. Sed id fortaſſe perpetuum non eſt. Neque ignoro alias ab aliis cauſas afferri de-

nominationis iſtius morbi. Inter hæc concludo, in tuberibus, cutiſque inæqualitate, & aſpritudine, cruſtiſque quibusdam, quaſi ſquamis, Elephantiaſis veram notam poſitam eſſe. Quæ ubi in ſcorbuto contingent, tunc Elephantiaſim ejus effectum eſſe quivis facile concedet. Verum ſemperne ejus effectus ſit; ideſt ſit ne Elephantiaſis ſcorbuti ſpecies, id quoque propter plurium ſymptomatum convenientiam non eſt improbabile. His adde extremarum partium gangrænam, cujus meminit Aretæus, gingivaſque præter modum pallidas, tumidas, aut rubentes, aſperas, corroſas, a nonnullis inter Elephantiaſis ſymptomata poſitas, quæ mala propius ad ſcorbutum accedunt. Verum ſi optamus præclarum convenientiæ horum morborum argumentum, extat id libro Muſgravii de Arthritide ſymptomatica. Tradit Vir clariſſimus, initio ſæculi, proxime elapſi, lepram adeo communem Damnonii morbum fuiſſe, ut olim in Judæa fortaſſe communior non fuerit. Jam cum lepram Judææ nominat, eum hanc ipſam, de qua loquimur, Elephantiaſim intelligere perſpicuum eſt. Medio vero eodem ſæculo lepram in ſcorbutum commutatam fuiſſe ſic, ut, illa prorſus fatiſcente, ſcorbutus maxime vigeret, in quo, ut idem notat, frequenter eſſent *ſquamulæ, veteris ſcilicet lepræ veſtigia*. Neque refert, quas ille putaverit fuiſſe hujuſce mutationis cauſas: ſat eſt hanc mutationem factam eſſe conſtare. Facilis enim eſt conjectura, lepram illam ſcorbuti ſpeciem fuiſſe, ideſt ipſum ſcorbutum, qui cum ſquamas quaſdam in cute produceret, hocque præcipuum haberet ſymptoma, lepra vocaretur; ubi hoc ſymptoma apparere deſit, aut minus conſpicuum factum eſt, pro ipſo ſcorbuto cognitus eſt. Itaque

lepram

lepram, & ſcorbutum, unum eumdemque eſſe morbum. Nam ſcorbutum, iis etiam in regionibus, ubi maxime frequens eſt, interdum latius diffundi, interdum contrahi, & velut ex parte occultari, notum eſt. Neque ſemper, neque in omnibus regionibus, ubi late ſeſe diffundit, iiſdem cum ſymptomatibus prodire. Ergo & ſæpe aliis in locis, & non multos ante annos Pariſiis, in ea clade, quam Paupartius egregio labore memoriæ prodidit, alia, atque alia intulit ſymptomata. Poſſunt enim aliqua ſubeſſe, vel ex parte ægrorum, vel ex parte externarum cauſarum, eaque morbi effectus quoſdam inuſitatos, & novos parere. Quæ & olim Alexandriæ maxime, & Damnonii elapſo ſæculo, & idemtidem aliis in locis talia fuiſse credibile eſt, ut ſcorbuti effectus, in ſummam corporis partem, per quoſdam inæquales, & aſperos tumores, ſquamaſque eliceret. Itaque huic vitio nomen Elephantiaſis impoſuerunt antiqui medici, & pro diſtincto morbo habuerunt, ut, modo magni lienis morbum, modo Ileum ſanguineum, modo στομακακην, & σκελοτυρβην pro ſymptomatum varietate eumdem morbum appellarint. Hæc, aliaque hujuſmodi, veri valde ſimilia dici poſsunt, ad eorum conjecturam confirmandam, qui Elephantiaſim non alium morbum eſſe, quam ſcorbutum, prodiderunt. Sed aliæ quoque erant conjecturæ, quæ a viris doctis expoſitæ ſunt. Ut qui illam Athenienſium peſtem, cujus divinam deſcriptionem Lucretius tradidit Elephantiaſim fuiſſe contendunt, aut qui convenientiam quamdam obſervarunt peſtis illius cum ſcorbuto, qui Pariſiis graſſatus eſt extremo elapſo ſæculo. Verum neque meum eſt, omnes aliorum ſententias in hac re aut tueri, aut coarguere: & ſatis

propo-

propoſito noſtro ea eſse poſsunt, quæ hactenus dicta ſunt. Illud enim requirebatur, fuerit ſcorbutus antiquis medicis cognitus, necne. Quem iis cognitum fuiſse, ſatis, ut opinor, oſtenſum eſt, nec ſolum cognitum, ſed etiam frequentem eorum temporibus, atque interdum communem, utpote cum integros exercitus infeſtaverit. Quod ſi ea quoque vera ſunt, quæ de Elephantiaſi proferuntur, non improbabilibus conjecturis, multo magis quæ fuerit etiam priſcis temporibus ejus vis, & frequentia evidens eſt. Ac ſi ex iis, quæ clara, & aperta ſunt, licet obſcuriora, latentioraque eruere: ubi jam tum ſcorbutum ſæviiſse oſtenſum eſt ſic, ut negari non poſſit, quis non ſuſpicabitur ſæpe hunc morbum antiquis medicis tractandum occurriſse, ſed ſpecie alius morbi involutum, & quaſi perſonatum adeo, ut pro eodem, quem mentiebatur, morbo illum habuerint? Nam noſtris quoque temporibus quamquam ejus vim, naturam doloſam, varioſque effectus diligentius auctores non pauci perſcrutarint, atque demonſtrarint, interdum tamen ſub larva alius morbi quosdam medicos fallit neque eos imperitos. Quanto igitur magis id veteribus contingere potuit, qui cum nondum ejus morbi naturam, extenſionemque perſpexiſſent, fortaſſe varia ejusdem ſymptomata in ſimilem morborum claſſem retulerunt? Quod non in ſcorbuto ſolum factum eſt vario, & multiformi morbo, ſed in aliis quoque ſimplicioribus. Idque in Cnidiis libris, qui ſub Hippocratis nomine extant, familiare, & manifeſtum vitium eſt: non tamen aliis poſteriorum temporum ſcriptoribus inuſitatum, ut a viris doctis obſervatum eſt.

CA-

CAPUT NONUM.

De tempore, quo morbus magni lienis Hippocratis ſcorbutus nominari cæpit.

NUnc videndum eſt quantum roburis in eorum ſit teſtimonio, qui putant, ſe detexiſſe, quo primum tempore ſcorbutus cœperit humanum genus male habere. Nam dicunt, ſi illum paucis ante nos ſæculis cæpiſſe conſtat, conſequens eſſe, antiquos medicos nihil de eo cognitum habuiſſe. Atque hoc alterum eſt argumentum, quod nobis opponunt. Quamquam ii, qui id prodiderunt, modo ſatis refutati ſunt, cum evicimus, ipſa antiquorum monumenta eos cogere, ut fateantur, hoc morbi genus fuiſſe apud illos ſane non infrequens. Quo poſito, vana, & inepta ſunt omnia alia eorum argumenta. Placet tamen aliqua addere, non tamquam cum iis diſputans, quos damnant antiqui ipſi, quibus repugnare in hac lite non poſſunt: quæ eſt illorum teſtimonio dijudicanda, ſed animo ſedato, & ſine contentione, ut monere potius, quam reprehendere videar. Sunt enim quædam, de quibus facile poteſt inter nos convenire. Ut, qui ſcorbuti ortum medio decimo ſexto ſæculo, aut qui initio ejuſdem ſæculi, ut Freindius, confitentur hi quidem paulo: illi vero multo ante de eo morbo mentionem factam eſſe poſſunt recognoſcere. Freindiuſque, cum morbum primum inter nautas Luſitanos, novas regiones in India orientali tunc temporis explorantes, (*a*) caput

(a) *Loc. ſupracit.*

put extuliſſe tradit, inter eos nempe, ex Fonſecæ teſtimonio, qui primi ex Luſitania Orientalem Indiam navigarunt, anno ſcilicet MCCCCXCVII. poterat, ſi animum advertiſſet, rem ad hunc modum eſse per ſe videre. Quod tanto magis illi erat faciendum, quod locum eum, quem ſuperiori capite deſcripſi, Georgii Fabricii erat allaturus, quo ex loco jam uſque ab anno MCCCCLXXXVI. in Miſnia ſcorbutum innotuiſse conſtat. Atque ex eodem loco apparet, nautas Saxones eum morbum jam tum ſcorbutum nominaſse. Quod ſi novum, & inauditum in Miſnia morbum fuiſse Fabritius ſcribit, id nihil demonſtrare aliud mihi videtur, quam illorum, qui ante illa tempora fuerunt, in obſervando morbo incuriam. Iſque potuit imponere & majori frequentia, & ſymptomatum novitate, ut novus videretur, qui ſolum eſset frequentior, & inuſitato aliquo ſymptomate terribilior. Nam, ut ſupra dixi, morbus hic aliis temporibus magis, aliis minus graſsatur, ſuaſque habet viciſſitudines tempore, & effectibus diſtantes. Quæ eadem cauſa fuit, ut quemadmodum novus tum in Misnia habitus eſt, ita alii, multis annis poſtea, pro novo morbo ſcorbutum habuerint, ubi novo quodam impetu latius ſeſe diffudit, & medicos impulit ad obſervationem diligentem adhibendam. Neque mirum eſt, miſerrimis illis, quæ memorias haſce anteceſserunt, temporibus, cum tota Europa barbaris gentibus jam diu inundata, literas, & tot egregias artes, atque adeo medicinam amiſiſset, nullum poſitum fuiſse inſigne ſcorbuti monumentum in eorum libris, qui poſt decimum demum ſæculum ab Arabibus recuperatam, & ex Aſia in Europam transvectam hanc

pro-

profeſſionem jam vitiatam, & corruptam, fere prius habuerunt ab Arabum veſtigiis recedere expaveſcentes, ſummamque gloriam adepturum putantes, quicumque plures Arabum ſententias interdum miſere diſtractas excripſiſset, ſuumque ad propoſitum convertiſset. Non oportuit igitur ab hominibus, a recto medicinæ ſtudio adeo alienis, veras obſervationes expectare morborum, qui ſubinde inciderent, & vel cum iis convenirent, quorum mentio extat apud antiquos, aut ab iis diſcreparent. Nam diligentiam iſtam ii poſsunt adhibere, qui germanam Græcorum medicinam ſequuti, intelligunt, magnam artis partem in eo ſitam eſse, ut morborum effectus, & ſigna exponantur omnia, & communia cum aliis morbis, & propria, per quæ ab aliis quiſque diſtinguitur. Ex quo fit, ut deſcriptio ſingulorum morborum, imo pictura quædam ante oculos habeatur, in quam intuentes poſſint protinus eos cognoſcere. Verum, ut recte obſervat Freindius, ea quæ a Græcis medicis ſcripta ſunt, *nonniſi a pauciſſimis conſulta fuerunt ante finem ſaculi XV*. Adde iis in regionibus, in quibus ſcorbutus frequentior eſt, ut in Dania, Norvegia, Svecia, Belgioque ſerius, quam in Italia, & in Gallia medicinam excultam fuiſse. Ex quibus omnibus licet intelligere, quamobrem iſtius morbi memoria, poſt eam veterum ſcriptorum ſub finem ſæculi XV. cum novitate quadam apparuerit. Eo ſcilicet tempore, quo litteræ cœperunt quodammodo renaſci, ſtudiumque medicinæ diligentius quæri. Non quod antea ſcorbutus non extiterit, ſed quod medici, intervallo temporis illius, rudes homines, & indocti, tam varium, tam multiplicem, tam obſcurum morbum, non ſolum ſcri-

ptione, ſed ne conſideratione quidem neceſsaria complexi ſint. Sed ubi majori cura pertractari cœpit, colique etiam in Germania, & ſub ipſo ſeptentrione medicina, ejuſque Profeſſores erudiri magis, magiſque, & ſcribere non deſtiterunt, ſcorbuti obſervationes quædam identidem litteris traditæ ſunt, variæ omnino, ut non ſtatim pro uno, eodemque morbo apparuerit, niſi iis, qui ejus naturam jam tum perſpexerunt. Sic in Miſnia prodibat ſcorbutus, cum quadam *inflamatione partium carnoſarum, cui quo celerior adhibebatur medicina, eo citius malum reſtinguebatur: ſin mora accedebat, ſequebatur morbi affecti mortificatio, quam ſyderationem noſtri*, Græci σφάκελον dicunt. Nautas vero Luſitanos, qui Orientalem Indiam primi navigarunt, hic morbus plane diverſo modo affecit, ſcilicet tumefactione gingivarum adeo magna, ut os, earum vix capax eſſet. Hæc igitur, quæ ſæpe accidiſſent, cum a pluribus curari cœpiſſent, ſubtiliuſque in morbi naturam, atque effectus inquiri, ab iis maxime, qui in iis eſſent regionibus, quæ ſunt ſcorbuto magis obnoxiæ, factum eſt, ut nonnullis is morbus novus viſus fuerit, qui ſolum diligentius deſcribi cœperit. In quo, ut alio loco dixi, eo facilius decipi potuerunt, quia ſcorbutus interdum, aliqua accedente cauſa, pejor fit, & latius diffunditur. Itaque alii Ann. 1488. alii ann. 1497. aut paulo ante, alii ineunte, alii medio ſæculo XVI. morbi initium poſuerunt, prout cuique, aut aliorum ſcripta, aut propriæ obſervationes indicaſſe viſæ ſunt. Quare cum nonnulli medio ſæculo XVI. ſcorbutum cœpiſſe ſibi perſuaſerint, quamquam ejus memoria extiterit ab annis uſque ſexaginta ante illud tempus, quanto magis videri novus potuit iis, qui ante finem

nem

nem ſæculi XV. ſcripſerunt, cum & ipſi minus eſſent curioſi in obſervando, & priorum temporum monumenta, non ſatis clara haberent, quibus edocerentur. Ac ſi locum illud Fabricii diligentius conſideremus, ita ſcribentis: *graſſatus eſt hoc anno novus, & inauditus in his terris morbus.* (*a*) ſuſpicari poſſumus, eum voluiſſe indicare novum quidem, & inauditum in Miſnia ſcorbutum fuiſſe, in aliis regionibus non item. Quid enim aliud ſignificant illa verba, *his in terris*? Quare ſi hæc conjectura non improbabilis videtur, jam ante annum 1483. de ſcorbuto memoriam extitiſſe perſpicuum eſt. Sane Olaus magnus, qui opus ſuum edidit primum, opinor ann. 1555. cum de ſcorbuto quędam interjecit, ſcripſit, non quaſi novus morbus eſset, ſed ſeptentrionalibus gentibus jam veteri memoria infeſtus. Quin etiam ipſum ſcorbuti nomen indicat, quam indiligentes fuerint medici ante ſæculum XVI. in hoc morbo obſervando, quippe cum ex vulgaribus quibuſdam ſeptentrionis, aut inferioris Germaniæ linguis effictum ſit. Nam Dani *Scorbeck* propter vacillantes dentes, affectaſque gingivas, Saxones vero *Scorbock*. ſive *Scorbuck* eum morbum appellarunt, quia venter torqueretur, a quibus non valde receſserunt Hollandi *Scorbunck* nominantes. Apud Olaum magnum, & *Scorbuk*, & *Schverbuck* legitur, Belgis vero, & *Scherbuyk* dicitur, & ob oris gingivarum ulcera *Scheurbeech*, & ob dolores Oſteocopos *Scheurbot*. Itaque veriſimile eſt, populos ſub ſeptentrione, cum hunc morbum fre-

V 2 quen-

(a) *Apud Freind. loc. ſupracit.*

quentem obſervaſsent, neque tum medici eſsent, qui ejus naturam dignoſcerent, curationemque adhiberent, eum ſua lingua deſignaſse vocabulo ducto ex præcipuo aliquo ſymptomate. Poſterioribus autem temporibus, cum ſcorbuti vocabulum ex aliquo vulgarium effictum in latinam linguam medici recepiſſent, multi putarunt, ut novum nomen, ſic novum morbum eſſe eum, cujus deſcriptio ſub eo nomine in illorum libris tradebatur. Riſum enim is moveret, ſi quis vellet in Græcorum, aut Latinorum, aut Arabum libris ſcorbuti vocabulum quærendum eſſe, ut ſciri poſſit, num morbus, qui per illud ſignificatur, medicis illis umquam occurrerit. Sed non eſt dubium, quin ſi eum morbum, qui ſub nomine magni lienis expoſuerunt, in quo malum ſpiritus odorem, malaſque gingivas fieri monuerunt, Græci illi ex his ſymptomatibus potius *στομακακὴν*, ut poſtea factum eſt in eo morbo, de quo Strabo, & Plinius: Latini autem oris, aut gingivarum vitium appellaſſent, non eſt dubium, inquam, quin his verbis idem illi ſignificaſſent, quod Dani verbo *Scorbut* ſignificarunt, ex quo ſcorbutum tractum eſſe aliqui putant. Eademque ratione verbum *ἰλεον*, quamquam dictum ſit *τὸ αἱμαίτιτην*, quod Cndii propoſuerunt, æque huic morbo convenire, ac Saxonum lingua vocabulum *Scorbuct* Sennertus obſervavit. Itaque etſi unus, aut alter ſæculo XVI., quo ſcorbuti nomen in medicorum ſermonibus, & ſcriptis frequentius poni, & uſu tritius fieri cœpit, morbum ipſum novum eſse judicaverit, ut VVierus, qui obſervationes ſuas edidit anno 1562. magnoſque lienes Hippocratis non ſcorbutum ipſum, ſed huic proximum fuiſse morbum contendit: plerique tamen iique doctiſſimi homines

mines, & in veterum ſcriptorum lectione exercitatiſſimi, quique eo ipſo tempore, aut non multo poſt, floruerunt, quam ſcorbutus cœpiſse ab adverſariis dicitur, ut ideo diligentius in rei veritatem inquirere potuerint, perſpexerunt ipſi, alioſque docuerunt, ejus morbi memoriam apud veteres medicinæ ſcriptores extare. Hos inter Lommius graviſſimus Auctor, cum ſeptem annis ſuas ante VVieri obſervationes in lucem emitteret, hoc eſt anno 1560: ex " hoc profecto cachexiæ genere eum, inquit, eſse mor- " bum judico, quem exprexiſse Hippocrates ſub magnis " lienibus videtur (a) Siquidem interdum bilis atra, " ita peſtilens fit corruptione, ut cum in corpus ex- " tra lienem diffunditur, plane ejus habitum univer- " ſum corrumpat. Id vitium his ſignis ſe prodit. Os, " ipſeque ſpiritus male olet, gingivæ vitiantur, ſubli- " vidæque, & nonnumquam ſubatræ reduntur, ac " digito, vel aliter preſſæ, atrum cruorem emittunt: " eędem ſic laxæ ſunt, ut a dentibus diſcedant facileque " eos, vel omnes interdum eximere liceat. Aliquis " etiam capiti, itemque præcordiis dolor eſt, urget- " que cibi faſtidium: creſcente morbo, hæc quoque " creſcunt, & maculæ quædam lividæ, tamquam ve- " ſtigia ſugillationum, variis corporis locis efflore- " ſcunt, in brachiis, ſcilicet, in coxis, in cruribus, " ſæpeque per univerſi corporis cutem, adeo ut, hæc " quaſi arquato videatur fœdata. Inter hæc magna " imbecillitas oritur, præcipueque in cruribus, quorum " impotentes compages fiunt. Nonnullis, ac potiſſi- "

„ mum

(a) *Lib. 1. obſerv. medicinal. pag. 130.*

„ mum junioribus, crebro ſanguis e naribus fertur: „ quod ni fiat, in cruribus hæ maculæ, quas dixi, „ & interdum ulcera fiunt. Is morbus Batavis, aliiſ„ que populis, qui humiliora, atque paluſtria loco in„ colunt, frequens eſt, utique ſi his quoque alimenta „ craſsæ, duræque materiæ ſumuntur. Rariſſimus ſic„ cis regionibus, atque editioribus. Omnem ætatem „ quolibet anni tempore nullo diſcrimine impetit. Se„ nibus tamen gravior, ſed frequentior juvenibus eſſe „ creditur: quibuſdam tamen locis frequentiſſimus pue„ ris eſt: idemque autumno, atque vere maxime „ recrudeſcit." Ac morbum, quem hoc loco deſcripſit, ſi conſideramus, facile intelligimus ſcorbutum deſcribi, ſi nomen quærimus, non aliud invenimus, quam illud magnorum lienum. Num igitur morbum illum non eſse ſcorbutum dicendum eſt, quia deeſt ſcorbuti nomen? Verum adeo perſuaſum erat viro doctiſſimo, & morbum cum morbo conferendo, eumdem eſse tam aperte cognoverat, ut crediderit, non eſse neceſsarium vocabulum ſcorbuti, non latinum, ſuo operi inſerere latine ſcripto, intellexeritque, ſe rerum harum non ignaris optime deſignare morbum, ejuſque apud antiquos deſcriptione extenſo quaſi digito indicare, ſi magnorum lienum nomine uteretur. Quatuor poſt annos Ronſeus, vir minime de vulgo, non ſolum magnos lienes, ſed ſcelotyrbem, & ſtomachachem, non aliud fuiſse, quam ſcorbutum eſtimavit. Itaque librum ſuum inſcripſit: *De magnis lienibus Hippocratis, & Plinii, ſtomacace, ſeu ſic dicto ſcorbuto*, ac ſcelotyrbe. Hambergerus quoque anno 1586. librum edidit *de ſtomachace, ex ſcelotyrbe, vulgo nuncupato ſcorbuto*. Accedit his Joannes Langius, aliique doctiſſimi medici ſæculi XVI., qui morbum,

qui

qui tunc primum ortus alicui videbatur, vetuſtiſſimis quoque medicis occurriſse, & ab illis deſcriptum eſse judicarunt. Id vero ab iiſdem antiquis medicis factum eſse brevius omnino, & obſcurius, quam poſtea ſæculo xvi. alii fecerint, cum evidentiſſimum ſit, hujus rei præter eas, quæ ſuperiori capite propoſui, illa cauſa fuit proculdubio, quod illi a Septentrionis regionibus remoti fuerint, in quibus acrior, & frequentior, ſcorbutus eſt. Quod cum ego affirmo, illud ſimul pono, majorem hanc ſcorbuti, ſive vim, ſive frequentiam, oriri ex vi, & concurſu plurium cauſarum, quæ illic ad ſcorbutum inducendum conferunt: ideoque, ſi par vis cauſarum in regionibus ad meridiem fuerit, effectum quoque parem futurum; Deinde cum vehementiſſimus, frequentiſſimuſque ſcorbutus in longis navigationibus inſurgere conſueverit, ut ex una Anſoni navigationis hiſtoria diſci poteſt, neque tales a veteribus ſuſceptæ fuerint, extat alia cauſa, ob quam apud illos non prorſus luculenta ſcorbuti deſcriptio habeatur. Quid? ſi poſterioribus temporibus quædam novæ cauſæ acceſserunt, nonne potuit ſcorbutus, non modo in aliis, verum etiam in ſeptentrionalibus telluris plagis frequentior, quam antea, fieri? Sed de hac re quædam paulo poſt dicenda ſunt.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Demonſtratur Scorbutum, etiam in Italiæ inſenſum eſſe.

SEquitur, ut oſtendam, ſcorbutum Italiæ quoque cum aliis regionibus eſse communem, contra eos, qui nullum apud nos, aut rariſſimum eum eſse dictitant. Quorum momenta adeo levia ſunt, ut vix conſiderationem mereantur. Atque iis quidem, qui ſub affectionis hypocondriacæ, vel hyſtericæ, vel alterius morbi ſpecie ſcorbutum occultare tentant, ſatis, opinor, reſponſum eſt VIII. hujus libri capite. Quorum rationibus refutatis, non invenio, quid reſtet dicendum, ut opinio iſta tueri poſſit. Nam qui ſcriptores quoſdam excitant, a quibus hunc morbum ſolis ſeptentrionalibus populis infeſtum eſſe ſcriptum eſt, ii non intelligunt, locum in hac re illorum auctoritati eſſe nullum. Adducantur enim nobiliſſimi ii quidem, ſed fere ex ipſo Septentrione medici, qui de aliis regionibus, in quibus medicinam non fecerunt, minime potuerunt affirmare, quibus morbis illæ careant. Sed quando ſcriptorum teſtimoniis tantopere ſe delectari iidem oſtendunt, videant quorum virorum auctoritate nitatur, qui credit ſcorbutum jampridem aliis quoque regionibus infeſtum eſſe. Nam Bonetus *non ſolos ſeptentrionales illi eſſe obnoxios pronunciavit*. Rolfinchius eum utique *endemium eſſe* regionibus Septentrionalibus, & Baltici maris accolis, vernaculum etiam Saxoniæ inferiori: hiſce tamen limitibus circumſcribi ſe non pati, ſed in finitimis *Thuringiæ regionibus* etiam, τῶν ἀνοράδων

more

more virus ſuum exercere. In Lexico autem Caſtello Brunoniano dicitur olim *Septentrionalibus* ſaltem populis, & maris Baltici accolis familiaris, & velut endemius: hodieque vero adeo late ſeſe diffundens, ut tantum non epidemius pluribus aliis populis eſse videatur. Sennertus quoque teſtatus eſt, in *Miſnia* (quod Fabricii locus, quem ſupra poſui, evincit) *Boemia*, *Moravia*, *Sileſia*, *Boruſſia*, *Haſſia*, & locis finitimis, non raro reperiri: imo quandoque etiam in Italia, Gallia, Lotharingia, & aliis regionibus. Denique Riverius, qui primum contra nos facere videtur, inquiens, *in noſtris plagis meridionalibus* ſcorbutum eſse fere *incogn tum*, poſtea tamen fatetur, uſum ſe docuiſse *ſuam illam regionem hoc affectu non omnino carere*......... ſæpeque hujuſmodi (ſcorbutica ſymptomata) non pauca in plurimis ægrotantibus ſe deprehendiſse. Atque egregia illa, de qua alio loco dixi, Paupartii Hyſtoria, quam frequens Pariſiis jam tum ſcorbutus fuerit, nonne aperte ſignificat? De nautis vero Luſitanis, hoc morbo affectis, Fonſecæ teſtimonium ſupra retuli. Quare ſi ſuperiorem Germaniam, ſi Boemiam, ſi Lotharingiam, ſi Galliam, eumque illius tractum, qui maxime meridionalis eſt, a ſcorbuto occupari conſtat, jam quantum finibus, quos ei dederant adverſarii, hic morbus ſe extulerit, nemo non videt. Jam vero, cum etiam in Græcia, ut Hippocratis, cum in Arabia, ut Strabonis teſtimonium confirmat, is morbus antiquis temporibus apparuerit calidis illis regionibus, cur Italiam ab eo immunem fuiſse putabunt? Profecto Celſus, niſi eum ſine propria obſervatione Hippocratem exſcripſiſse dicamus, ſua ætate ſcorbutum Romæ cognitum fuiſse declarat. Atque

ſi jam tum cognitus fuit, cur negabunt paulatim eumdem latius ſeſe diffudiſse? Sed hæc nimio temporis intervallo a nobis remota omittamus, & ad poſteriora tempora veniamus, xvi. ſæculo Altomarium, Trincavelium, Maſsariam, alioſque plures Italos ſcriptores ſub lienis vitio ſcorbutum comprehendiſse, tam evidens eſt, quamquod maxime. Hæcque ratio fuit, quamobrem illi perſpicuam delineationem ſcorbuti non tradiderint, quod in aliorum morborum claſsem eum incluſerint, perſuaſi fortaſſe, ut nonnulli nunc quoque, ſcorbutum ſeptentrionalium tantum regionum proprium eſse. Quo modo Carolum quoque Piſonem, celebrem illum Lotharingum medicum, deceptum fuiſſe, Sennertus indicat, addens: *Et hodie, quandoque Italis, & Gallis, quibus* (Scorbutus) *rarior eſt, offertur, rarior ſcilicet, quam iis in oris, quibus vernaculus eſt, nec tamen ſemper cognoſcitur, vel hoc nomine deſcribitur.* Ineunte vero ſæculo xvii. ſcorbutum in Italia obſervavit, & proprio ejus nomine deſcripſit Rodericus a Fonſeca, & ad medium ſæculum Raymundus Joannes Fortiſius Veronenſis medicus imprimis clarus, eodemque ſæculo exeunte Lucas Tozzius, cum non vulgarem noſtris in regionibus hunc morbum dixit, interdum tamen incidere conceſſit. Et Georgius Baglivius de eodem quædam in ſuum opus conjecit, ut facile intelligatur, plures eum ſcorbuticos obſervaſſe. Hæc ſcribo, ut unum, aut alterum eorum propônam, qui ſuperioribus temporibus invenerunt, Italiam quoque ſcorbuto patere. Si nunc eos Italos recenſere omnes velim, qui hoc ſæculo idem prodiderunt, nimius in hoc ſtudio profecto videar. Nam ut de Lanciſio, aliiſque nihil dicam, qui quaſdam de ſcor-

de ſcorbuto obſervationes protulerunt, ut Scardonam, & Capellum, viros doctos, prætercam, ipſumque Sanctorinum, qui dicunt, ſcorbutum non ita quidem frequentem, ut nonnulli contendunt in Italia, ſed aliquem tamen eſſe: hos, inquam, ut prætercam, doctiſſimus certe Cochius, qui cum in Anglia fuerit, & Belgio, potuit hujus morbi naturam, & ſigna intime perſpecta habere, eum in Italia frequentem multiplici obſervatione didicit, & teſtatum relinquit eumdem ęque ſævire, & *pigris, ubi nulla campis.*

Arbor, æſtiva recreatur aura, ... & ſub curru nimium propinqui

Solis, in terra domibus negata.

ut Horatii phraſi utar, quam imitatus eſt Franciſcus Petrarca, & ex eo Cochius habet: ideſt in frigidioribus æque, atque in calidioribus regionibus: Carolus quoque Gianella vir clarus, qui longo tempore Ligniaci medicinam fecit, quo in loco aer craſſus, & multæ ſunt circum ſtagnantes aquæ, in libro de ſucceſſione morborum, ſcripſit hoc modo: *Scorbutus licet maritimorum locorum endemius morbus ſit, hiſce tamen noſtris in regionibus, quam frequentiſſime occurrit.* Locuples etiam teſtimonium eſt in ea epiſtola, quam ad me Bononia ſcripſit vir clariſſimus, idemque humaniſſimus, Joannes Antonius Gallius, in qua hæc ſunt verba, quæ e vulgari in latinum verti. "Medicus, „cui multis abhinc annis mente captorum in hoc noſocomio S. Urſulæ, tum virorum, fœminarumque in „animadverſionis (ut vocant) Domibus incluſarum „cura data eſt: me certiorem fecit, ſe a longinquo „tempore obſervaſſe, majorem eorum partem, qui „iis in locis incluſi fuiſſent, tandem ab iiſdem non

„ exiiſſe, quin affectionem ſcorbuticam contraxiſſent. „ Quæ non in omnibus æque vehemens fuit, ſed in „ aliquot ad quartum gradum pervenit, & nonnulli ex „ ea miſere perierunt. Multa ille diligentia contra uſus „ eſt, adeo ut cruſtam a parietibus tolli, lectos, ho- „ rumque lintea, & reliquam ſupellectilem, cum no- „ va commutari juſſit, ſed fruſtra. Et quamquam ex „ cubiculis alia anguſta, alia ampla, alia in plano, „ alia his ſuperſtructa ſint, tamen in omnibus pariter „ ſcorbuto eos quoque affici obſervatum eſt, qui pro- „ pter ſuum robur minus timebant, minuſque morbo „ ſuſcipiendo apti videbantur. Qui otio magis indul- „ gebant, qui in lecto majorem diei partem ſub ſtra- „ gulis, ac linteis velut penitus abdebantur, ii citius, „ graviuſque a ſcorbuto correpti ſunt, iſque in non- „ nullis ita inſedit, ut neque domi, neque aeris, ne- „ que cibi mutatio, neque liberatio ex cuſtodia, po- „ tuerit morbi vim debilitare, aut ſpeciem meliorem „ reddere. Ego teſtari poſſum, me aliquot ex iis vi- „ diſſe, quorum totum corpus lividæ maculæ fœda- „ bant, gingivæ exulceratæ ita increverant, ut ſupra „ dentes eminerent. Et quamquam aliquibus profuerit, „ decoctiones, & tincturas anti-ſcorbuticas adhibere, „ oſque frequenter vino auſtero ſalſo eluere, ipſasque „ gingivas ſecare, profectus tamen, non diu duravit.“ Hæc ille. Obſervatio autem illa ſane egregia doctiſſi- mi Leonardi Targæ, quam expoſui ſuperiori libro, apertiſſime declarat, ſcorbutum etiam apud nos in- terdum eſſe epidemicum. Jam vero Antonius Fracaſ- ſinus, vir hujus Urbis clariſſimus, qui nuper de hy- pocondriaci morbi natura librum edidit, cum de af- fectione hypocondriaco-ſcorbutica egit, quatuorque ægrorum hyſtorias deſcripſit, & longe plures deſcri-

bere

bere potuiſſet) niſi in eo tantum ſcorbuto ſermonem inſtituiſſet, qui hypocondriaco morbo ſuccedit) plane intelligi voluit; ſcorbutum apud nos inveniri. Multique præterea ſunt nobiles Itali medici, qui idem ſentiunt, Guſmanus, Galleazzius, Petrus Paulus Mollinellius, Joſeph Azzoguidius Bononienſes, Joannes Baptiſta Grandius, Arcadius Capellus Veneti, Andreas Paſta Bergomenſis, quos omnes honoris cauſa nomino. Ipſe Bachſtromius, quamquam non ſit ex noſtratibus, qui egregias de ſcorbuto obſervationes litteris mandavit, hanc quoque poſuit (a) „ ſcorbutum ubique terra- „ rum, & locorum, & quovis anni tempore, cujus- „ vis ætatis homines nonnullos, ſed parcius (ſcili- „ cet quam in locis Septemtrionalibus) infeſtare, „ quod ex hiſtoria antiquiori, & recentiori omni- „ bus conſtat ſic, ut exemplis allegandis vix opus „ eſſe videatur. “Quod ne quis ex opinione dictum putet, obſervationem quamdam ex ejus libro deſcribam. “Quoniam vero, inquit, regiones calidiores, „ præſertim mediterraneæ, ab hoc malo immunes eſ- „ ſe creduntur, & dicuntur: Hinc a militibus Cæ- „ ſareis, qui diu in Italia, & quidem ſatis procul „ commorati erant, inquirens hæc accepi: ibidem „ durante bello, præſidium aliquod Cæſareum ſic „ hoc morbo correptum fuiſſe, ut complures eo- „ dem extinguerentur. Ipſe vero Officialis, qui mi- „ hi hæc narrabat natione Italus ſic infectus fuerat, „ ut ſingulæ volæ utriuſque manus in puſtulam unam abi-

---

(a) *Loc. jam ſupracitat.*

„ abiviſſent, qua de cauſa a medicis ſuis, hunc mor-
„ bum fere ignorantibus, deſertus fuerat, quem ta-
„ men chirurgus Germanus, aliis anti-ſcorbuticis,
„ quam Itali propinaverant, trium, vel quatuor die-
„ rum mora, ex mortis faucibus eripuit". Verum non eſt opus ſcriptorum auctoritatem conquirere, cum peritus quiſque, & nullo præjudicio imbutus medicus, fere quotidie ſuis ipſis oculis veritatem intueri poſſit. Nam qui ad ægrum unum aut alterum interdum accedunt, neque poſſunt, aut volunt ab hac profeſſionis anguſtia diſcedere, eos ego non valde moror. Nec enim in tanta obſervationum inopia eorum auctoritas magnifacienda eſt, qui morbos quosdam ſcorbuto ſimillimos dicunt, ſed revera ſcorbutum non eſſe. A quibus ſi requiras, quidnam inter eos morbos, & ſcorbutum interſit, reſpondebunt, ab eorum cauſis, & natura, varias eſse cauſas, & naturam ſcorbuti. Exempli cauſa, ſi ægrum invenerint, quem in ore mordicationes cum ſiccitate, gingivarum intumeſcentia, & fluxiones, in artubus rheumatiſmi, puncturæ, laſſitudines laborioſæ, intumeſcentiæ male habeant, atque in toto corpore prurigo, puſtulæ rubræ, parvi tumores: nec deſint in ventre dolores, tum ſanguinis profuſiones: ſitis, fames, cibi faſtidium, aliaque plura mala accedant, quæ multos ante annos inœperint: hunc ægrum hypocondriaco morbo laborare, qui ſcorbuto ſit valde ſimilis pronunciant. Sed quoniam initio morbus hypocondriaci generis fuit, talem adhuc permanere volunt, atque eſſe a ſcorbuto longe diverſum, cujus natura ab illius natura valde diverſa eſt. Cæterum concedunt ab inveterato hypocondriaco morbo ſolida magis, magiſque debilitari, ſanguinem craſſum, lympham viſcidam, & len-

tam, humorumque motum tardiorem reddi, præterea ſales acriores fieri dicunt. Adverſus hos medicos veriſſimum illud Boerhavii monitum non amplificabo *morbos cronicos varietate quidem infinitos, ratione ſymptomatum tamen, ex origine non adeo compoſita pendere*. Sed illud ab iis quæram, num ex morbis morbos fieri norint. Hoc ſi norunt, ut ego de iis credo, conſulant deinde ex medicis auctoribus idoneum quemque, atque intelligent, quo modo ex longis morbis, atque adeo ex ipſo hypocondriaco malo ſcorbutus ſuboriatur, ut apertiſſime docet Etmulerus his verbis: *de cætero recte quidam dicunt, quod malum hypocondriacum malignius redditum, ſcorbuticum audiat*. De qua re cum ex ſuperiori multa, & quædam hoc libro dicta ſint, nihil addo. Dicent utique ſe fateri eos morbos a ſcorbuto excipi in regionibus, quibus ſcorbutus proprius eſt, in iis videlicet, quæ ſub Septentrione mari proximæ ſunt, non item in Italia, aliiſque in locis, in quibus is morbus nullus eſt. Eo enim tandem revertuntur, ut negent ſcorbutum apud nos inveniri. Sed hos, donec majorem morbis conſiderationem adhibeant, & largiori obſervationum copia nitantur, hos inquam rogabo, ut mecum velint recognoſcere, quid Sennertus, & alii poſt eum docuerint, quidque veri maxime ſimile ſit. Docuit autem ille *quocumque in loco cauſa huic malo generando, & præcipue victus ratio ſuppetit, ibi generari poſſe ſcorbutum*. Quidni in Italia poſſit? Colligamus ea, quæ de ſcorbuti cauſis, de aere, cibo, potione, ſuperiori libro dicta ſunt, ac de deficiente, aut nimia exercitatione, de animi affectibus, deque morbis iis, qui ſcorbutum generant, quæ cauſa afferri poteſt, ob quam hæc in Italia

æque

æque, ac in Septentrionis oris ſcorbutum non inducant? Cauſæ morbi apud nos quoque inveniuntur, morbus non invenietur? Nam frigora illa, quæ ſub Septemtrione fiunt, ſi pro unica ſcorbuti cauſa haberi volunt, errant, cum ſub ipſa torrida zona ſcorbutus oriatur: ſi pro una ex cauſis, hoc à me conceſſum eſt. Sed non ideo ſequitur, ſi una aliqua ex cauſis deeſt, ſcorbutum apud nos nullum eſſe, cum reliquæ cauſæ non deſint. Levior quidem morbus, ſed aliquis tamen erit. Idemque de maritimis locis dicendum eſt. Quamquam cum maritimas tantum regiones ſcorbuto obnoxias putant, ab Italia eum non omnino depellunt, quia longi ſunt in hac orbis terrarum parte maritimi tractus. Quæ cum ita ſint, concludere liceat, ab antiquis uſque temporibus, ſcorbutum cum aliis regionibus Italiæ communem fuiſſe. Verum ſi eum nunc frequentiorem, quam ſuperioribus ſæculis apud nos eſſe aliquis contendat, is me non difficulter aſſentientem inveniat. Cauſas enim aliquas videre videor, propter quas in his quoque locis morbus ſenſim increverit. Profecto Alexander Maccopius Præceptor meus, in quo acre judicium fuiſſe, cum multa experientia conjunctum, ab omnibus conceditur: quique pridem in Belgio ſcorbuti cauſas, naturam, effectus, ſigna diligenter inveſtigaſſet, cum antea frequentem in hac Italiæ parte hunc morbum inveniſſet, initio tamen hujus ſæculi poſt Germanorum contra Gallos in Italiam expeditionem, eumdem frequentiorem obſervavit. Ego, quæ cauſæ potuerint ſcorbuti frequentiam paulatim majorem facere, breviter exponam. Primum a ſcorbuticis parentibus plerumque filios generari eodem morbo aut infectos, aut facile inficiendos,

com-

compertum eſt. Novi ego hac de cauſa familias integras huic morbo obnoxias. Deinde cum venerea lues, quæ jam pridem late graſſari cœpit ad ſcorbutum ſuſcipiendum corpora apta efficiat, ut alio loco adnotavi, eadem inter cauſas propagati morbi habenda eſt. Sed etiam quoad victus rationem pertinet, quædam nuper, hoc eſt non multos ante annos, uſu recepta ſunt, quæ culpa iſta non carent. Inter hæc aromatum, & laridi vis, in cibis condiendis maxime ad opulentorum menſas. Quare utiliſſimus uſus eſt, qui nunc potiſſimum apud divites, & delicatos homines vigere cœpit, olera, horumque ſuccos adhibendi ad ciborum conditionem. Conſuetudo quoque, quæ adeo percrebuit, ſumendi largam coffee potionem huc referenda eſt. De his ſcorbuti cauſis multa dicta ſunt ſuperiori libro, ut nunc longa oratione minime opus ſit. Neque prætermittendum eſt & ſuperiori, & hoc ipſo ſæculo, pernicioſum uſum, quem antea quoque nonnulli ſequuti ſunt, ſed tamen magis his temporibus apud plures invaluiſſe, ſeſe a recentibus vegetabilibus abſtinendi, ratos tutius eſſe carnibus veſci. Qui uſus fortaſſe ab exteris nationibus, quibus recentia vegetabilia aut non facile ſuppetunt, aut minus placent, ad nos permanavit, fecitque ut etiam carnes duræ, & ſale conditæ libentius ſumerentur. Id quoque magnopere valere ad ſcorbutum gignendum oſtenſum eſt. Ab his cauſis, quæ nobis cum aliis Italiæ, atque aliarum regionum populis communes ſunt, ad eas, quæ propius ad nos pertinent, veniendo, præcipue ſtagnantium, pro oryzæ ſatione, & cultu, aquarum vis accuſanda eſt, quæ nunc adeo aucta eſt in agro Veronenſi: tum frequens proluvies, Atheſi inundante,

propter alveum elatiorem factum. Hinc aer craſſior, & humidior fit, quod etiam frequentiores quam antea, nebulæ indicant, putridiſque exhalationibus inquinatur, ideoque aptus ad ſcorbutum inducendum circumfunditur, ut alio loco indicavi. Sed ante omnia, ſi quædam contagio in hoc morbo ſatis certa videatur, hæc ratio propagati per Italiam ſcorbuti maxime attendenda eſt. Ad quam multum contulerunt exteriorum nationum irruptiones. Nam ut Cimbrorum, Gothorum, Bardorum, aliorumque ſeptemtrionalium populorum innumerabiles copias, quæ Italiam in antiquis temporibus ingreſſæ ſunt, ſilentio prætereeam (quamquam hæ quoque magnum momentum ſuppeditant. Nam ex Bardis, qui Galliam potiſſimum Ciſalpinam occuparunt, plures noſtrum originem habere certum eſt. Cymbri autem reliqui poſt cladem a Mario acceptam, ſedem in ea Alpium parte, quæ inter ſeptemtrionem, & Orientem aliquot M. P. ab urbe noſtra diſtat, ſibi collocarunt, quam etiam num tenent propria lingua utentes, cujus multa vocabula in Dania nunc maxime uſurpari Leonardus Targa accepit a viro clariſs. Franciſco Seguierio. Nonnullos montium illorum incolas ſcorbuto affectos, & pridem cum Ilaſiis medicinam facerem, & nuper vidi.) Sed ut de illis nihil dicam, etiam recentioribus temporibus ſæpe Germanorum copiæ in Italiam migrarunt, & diutius omnino, quam oportuit, commoratæ ſunt, pars etiam earum ad illarum urbium, quæ ſub Romanorum Imperatoris ditione ſunt, præſidium relicta. Hoc, inquam, modo ſcorbutus, propter contagionem, in Italia invaleſcere potuit, hancque, inter alias, cauſam fuiſſe ſuſpicari licet, ob quam poſt bellum,

quod

quod incipiente hoc ſæculo fuit, frequentiorem apud nos hunc morbum experientiſſimus Maccopius obſervaverit.

CAPUT UNDECIMUM.

De morbis, qui ad ſcorbutum diſponunt.

NUnc de morbis dicam, ex quibus facilis ad ſcorbutum tranſitus eſt. Ampliſſimus ſane locus, qui a nonnullis non ſatis pertractatus, multorum errorum cauſa extitit. Ego eos morbos exequar, ex quibus frequentius ſcorbutus oritur, cum de omnibus dici vix poſſit, & ſi poſſet, tamen eſſet ſupervacuum. Cognita enim vi, qua in univerſum agunt morbi iſti, ut ſcorbutum producant, quæ de aliquibus dicta ſunt, ad cæteros transferri poſſunt. Cum itaque obſervatione compertum ſit, ſæpe longis morbis ſcorbutum ſuccedere, quiſque intelligit, cauſam in illis quærendam eſſe. In longis autem morbis accuſatur glutinoſum, & acre, quæ humorum vitia vel ſenſim fiunt, vel ex acutis morbis relinquuntur. Ergo ubi hujusmodi humorum craſſities, & acritas vel per ſe, ſpatio interpoſito, vel alia cauſa accedente tales fiunt, quales ad ſcorbuti originem faciunt, is neceſſario ſubſequitur. Scire autem licet, varias acritatis ſpecies, quæ ſunt in longis morbis, non admodum ab his diferre, quibus ſcorbutus gigni ſolet. De qua re legere per quam diligenter oportet ea, quæ a magno Boerhaavio ſcripta, & a Svvietenio, digno tanti Doctoris diſcipulo, latius diducta ſunt capite,

pite, quod eſt de morbis cronicis in univerſum. Præcipue vero hujusmodi acrimoniæ convenientia utique eſt inter melancoliam, & ſcorbutum. Ex quo fit, ut non modo melancolia in ſcorbutum facile convertatur, ſed interdum hi duo morbi alter ab altero difficulter diſtinguantur. Quæ convenientia ideo quoque major eſt, quia cauſarum, ex quibus uterque oritur, magna eſt ſimilitudo, imo eædem ad utrumque conferunt. Difficultas autem illos diſcernendi tum maxime contingit, ubi ſcorbutus alteri ſuccedit. Quamquam eo ipſo, quod ejuſmodi ſucceſſio nota eſt, peritus medicus minus habet laboris in diagnoſi. De qua re ſupra dictum eſt. Ac de affectione hypocondriaca, quæ eſt melancoliæ gradus, eadem dici poſſunt. Illa vero, quæ ſine materia eſt, & ea, quæ eadem eſt, ſed in fœminis ſic vocatur, Hyſterica paſſio, utraque harum quoque ſcorbutum gignit. Idque duobus modis fieri poteſt. Nam ex his & ipſa melancolia, ſive atrabilis, quæ, ut dixi, ſcorbutum inferat, & ſine melancolia humorum craſſities, & acrimonia oriuntur, quæ in eum morbum deducant. Ad craſſitiem autem hanc, & acritatem confert primum copioſus albæ, & tenuis urinæ fluxus. Nam, liquidiori parte decedente, non ſolum humores magis craſſi exiſtunt, verum etiam quoniam urina ea alba eſt, putreſcens oleum cum acriori ſale, quæ cum urina exire debuiſſent, retineri manifeſtum eſt. Deinde triſtitia, & deſperatio ſalutis, quæ ſunt in morbis illis, tum ſpaſmi, quæ vaſa conſtringunt, humorumque circuitum interturbant, eaſdem magnopere fovent, atque augent. Venereus quoque morbus, videtur non parum poſſe in ſcorbuto gignendo. Quem eos gravius adoriri, qui aut a paren-

parentibus labe illa infectis nati ſunt, aut ipſi illam ſuſceperunt, jam ſupra propoſui. Atque jamdudum obſervavit VVilliſius: *Parentum lue venerea tactorum natos, ſymptomatis gravioribus affectionis ſcorbuticæ æmulis, obnoxios degiſſe*. Nec vero fit, quod venerea acritas cum acritate ſcorbutica ullam, quæ nota ſit, habeat convenientiam. Nam venenum labis illius eſt peculiaris naturæ, quam cognitione non aſſequimur. Sed, ut ego opinor, vel ideo maxime, quod qui ea infecti ſunt, corpus infirmum habent, ejusque actiones minus integras, ſic ut ex alimentis deteriores humores craſſi, acreſque in iis conficiantur, facile in ſcorbutum cadunt. Quæ ratio in iis etiam valet, qui ex parentibus hujusmodi orti ſunt, cum nihil frequentius ſit, quam infirmos parentes infirmam prolem generare, & ipſa cæteroquin labes infeſtiſſima hæreditate tranſeat. Etiam ubi craſſi humores in jecinoris, vel lienis vaſis coeunt, eaque diutius obſtruunt, ſcorbutus naſci conſuevit. Sive enim lienis actione ſublata, ſanguis minus, minuſque diſſolvitur, atque attenuatur, tunc bilis ſecretio ſimul perturbatur, ex quo etiam fit, ut poſt lienis vitia, jecinoris quoque vitia oriantur: ſive jecinoris ipſius vitio bilis vel non ſecernitur, vel non bene ſecernitur: acre oleoſum retinetur, ciborumque concoctio minus apte fit, craſſus, & parum blandus chylus in ſanguinem deducitur. Propterea ſæpe numero videmus eos, qui regio morbo laborant, in ſcorbutum declinare. Hæc autem lienis, jecinoriſque vitia, frequenter in cauſa ſcorbuti eſſe, ut aliæ obſervationes docent, ſic ex eo, ut mihi videtur, poteſt apparere, quod antiquorum plerique in liene ſcorbuti ſedem poſuerint. Quod quamvis a veritate abhorreat,

reat, ut alio loco proponam, tamen argumento eſt, ſæpius id viſcus in hoc morbo indicia præbuiſse, quibus aliquod ſe habere vitium ſignificaret. Denique longæ febres, maximeque intermittentes, & in his quartanæ, ſcorbuto viam ſternunt, magiſque, ſi viſcera, quæ in abdomine ſunt, vel ante obſtructa fuerint, vel obſtrui inter eas cœperint. Cujus rei rationem intelligere quiſquis ex iis poteſt, quæ de effectibus harum febrium docuit Boerahavius (*a*) & adnotavit vir præſtantiſſimus Svvietenius (*b*). Quo magis miror ab eodem Boerahavio nimium uſum Peruviani corticis tamquam cauſam ſcorbuti tam aperte accuſari. In quo Sydenhamium ſequitur, qui ubi de Rheumatiſmo ſcripſit, quamdam hujus ſpeciem, quam Rheumatiſmum ſcorbuticum appellavit, ex longo, & repetito corticis illius uſu interdum gigni memoriæ prodidit, neque vidit, id malum tribui innocenti cortici, quod diuturnis, & pertinacibus, aut ſæpius revertentibus febribus erat tribuendum: quod optime novit Gorterus, vir candidus, & ſimplex quamquam dubitanter proponit, eamdemque veritatem non diffitetur, Svvietenius.

C A-

(a) *De febrib. intermitt.* 753.
(b) *Loc. ſupracit. pag.* 290.

CAPUT DUODECIMUM.

De ſcorbuto hæreditario, necnon de ejus contagione.

SUpereſt, ut de ſcorbuto hæreditario dicam, itemque de contagione, qua nonnullos in ſcorbutum trahi apud omnes fere Auctores ſcriptum eſt. Ac hæreditarii quidem ſcorbuti, cujus innumera ſunt exempla, ratio eadem eſt, quæ cæterorum hæreditariorum morborum, ut ideo verba de hac re facere ſupervacuum ſit. Referam huc eam quoque ſcorbuti cauſam, quæ ex lactatione eſt, ubi nutrix hoc morbo infecta, eodem infantem inquinat. Nam lac, quod in ſcorbutica muliere propter vires concoctionis, roburque ſolidorum labefactatum, bene confectum eſſe non poteſt, trahit præterea admixtam magnam lymphæ partem, acribus, crudiſque particulis plenam, ex corpore ipſius nutricis, qua lactantis humores inficiantur, atque corrumpantur. Etiam de contagione ſermo poterat abſolvi quam breviſſime, ſi recens dubitatio Viri doctiſſimi, cujus judicio permultum tribuere ſoleo, non faceret, ut longiorem orationem requiri exiſtimem. Is enim quamquam hunc morbum contagione ſuſcipi non plane negat, tamen aſserit nulla eam certa eſse demonſtratum obſervatione. Nam quod in obſeſſis urbibus, navibus, aliiſque ſimilibus caſibus multos ſimul ſcorbutus invadat, id propter communes cauſas fieri vult. Cum e contra ipſe viderit non paucos, ſalubri victu utentes, & ſuperiori domus partes habitantes, immunes a morbo iſto inter inferioris domus ejuſdem partis habitatores eodem affectos quotidie verſari: notum-

notumque ſit in Orientalem Indiam navigantes, ſi ſcorbuto corripiuntur, ubi bonæ ſpei Promontorium appellunt, libere in noſocomium recipi, & brevi ſanari. Quod non fieret, ſi contagionem oboriri ſemel obſervatum eſſet. Ex his apparet Virum illum experientiſſimum non attendere, quid quiſque ſibi perſuaſerit, ſed ad obſervationes provocare. Recte omnino. Atque illi quidem concedendum eſt, in propoſitis, ſimilibuſque caſibus contagionem, ut aliquid fortaſse contulerit, tamen certo accuſari non poſse. Verum cum ego conſidero tantum Auctorum omnium conſenſum, docentium hunc morbum contagione propagari, vix adduci poſsum, ut credam omnes aut fallere voluiſse, aut potuiſse falli ſic, ut in tanto numero nullus fuerit, qui ſcripſerit, quod evidenter compererit, eoque magis, quia inter illos aliqui fuerunt, quorum in his rebus longe ſpectata eſt diligentia, ſcilicet, ut cæteros prætercam, Hofmanus, & Boerahavius. Quod ſi certæ in contrarium haberentur obſervationes, etiam illos omnes deceptos eſse concederem. Nunc paucis illas etiam dubias eſse manifeſtum eſt, cum contagio ex afflatu difficilior, eaque non in omni ſcorbuti gradu æque timenda ſit, & præterea ne in peſtilentia quidem omnes afficiuntur, in qua contagionem negare fere nemo audet. Ergo etiam vir ille clariſſimus fatetur, ſe nemini ſuaſurum, ut communi poculo utatur cum eo, cui gingivas putridas, ac tabeſcentes ſcorbutus fecerit. In quo tum prudentia medentis, tum metus quoque deſpicitur dubitantis, ſuiſque obſervationibus non fidentis. Mihi vero quid reperire datum ſit, ſi quis ſcire avet, is ſic habeat: me ex non obſcuris indiciis exiſtimare ſcorbutum interdum

con-

contagioſum eſse, ſed id certe cognoviſse, ut plane affirmem ea ratio non ſinit, quod putem niſi ex pluribus, certioribuſque obſervationibus rem aliquis collegerit, non facile interponere ſententiam ſuam debere. Hanc multiplicitatem, & certitudinem obſervationum, ut ego nondum habere fateor, multo minus neceſsariam judicii acritatem, ſic has res in tot, tantiſque Auctoribus agnoſcere, probata ab omnibus eorum gravitas me cogit. Ac quod tantam judicii cautionem in hac re neceſsariam eſse putem, id vero non eſt ſine ratione. Nam in morbis, qui ſolum contagione inficiunt (de hæreditaria enim eorum labe non loquor, quam in ſcorbuto quoque ſupra poſui) in his igitur morbis prompta & expedita diſcretio eſt. Proferam notiſſima. Nemo in his regionibus, quidquid nonnulli contra ſoleant dicere, venereum morbum vidit aliam ob cauſam, quam ob concubitum, oſculum, verbo per contagionem ſuſcipi, quæ propterea in hoc morbo evidentiſſima eſt; non item in aliis, quamquam ipſi quoque contagioſi habeantur. Ut in ſcabie, quæ multos hoc modo invadere dicitur: ſed quia in mala victus ratione illa ſæpe fit ſine contagione: ideo plerumque, ut opinor, difficilimum eſt diſcernere, utra ex cauſa orta ſit. Quod de ſcorbuto quoque verum eſt. Quem ut contagio interdum afferat, ſemper tamen ſuſpicari quiſque poteſt, ab alia cauſa eum cœpiſse. Sed inter hæc qui quoſdam viderit hoc morbo corripi, in quibus nulla neque cibi, potioniſque, neque aeris, neque triſtitiæ, neque prægreſſi morbi, neque alius generis evidens cauſa fuerit: iidem vero cum aliis putrido ſcorbuto affectis convixerint, vel communibus cum illis poculis uſi fuerint, potioneſque aſsumpſerint ab

illis prælibatas &c. is ſi contagione morbum propagatum fuiſse putat, probabilem ſequitur conjecturam. Cui quidem conjecturæ niſi vim omnem denegare volumus, habemus argumentum, quo ego aliquando adductus ſum, ut mihi videretur obſervatione deprehendiſſe, eos non plane deceptos fuiſſe, qui contagionem ex hoc morbo metuendam eſſe memoriæ prodiderunt. Illud interea certum eſt, eam neque in quacumque hujus valetudinis ſpecie æque adeſſe, neque in quocumque morbi gradu. Profecto ſi umquam, maxime certe timenda eſt, ubi ſcorbutus in putredinem vergit, & ad ultimum ſuæ corruptionis gradum pervenit, ut innuit (a) Addington. Alia quoque obſervatio neceſſaria eſt. Nam contagione affici duobus modis aliquis poteſt, vel ſolo afflatu, ut in morbis, in quibus tenuiſſima, & volatilis materia eſt, ut in peſtilentia, variolis &c. vel contactu in morbis, qui craſſiorem habent materiam ex. gr. in ſcabie. Afflatus vix, niſi in putridiſſimo ſcorbuto, timeri poteſt, & difficilius fortaſse hoc modo morbus ſuſcipitur: non item contactu, qui in aliis quoque ſpeciebus non eſt ſine periculo. Ideoque plura eſſe credo exempla ſcorbuti tali contagione propagati, ex. gr. per poculum, ſaliva, aut ſanie, ex gingivis ſtillante, infectum.

Finis Libri Secundi.

LI-

(a) *Sagg. ſull. ſcorbut. di Mar. pag.* 8.

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

De ſcorbuti Therapeutice generali.

IN curatione ſcorbuti tradenda aliqui fortaſſe me accuſabunt, quod blandiſſima remedia fere ſemper proponam, cum ipſi credant fortiora medicamenta eſſe adhibenda in malo adeo vehementi. Ego vero reſpondebo cum Oſmanno (a) *ſcorbutum inter chronicos facile graviſſimum non validis, & fortioribus, ſed leniſſimis, & ſimpliciſſimis tractandum eſſe remediis*. Nonnumquam etiam morbus iſte abſque medicamentis ſanatur recta præſcriptione ciborum, & potus. Quare ego quoque tradam primum regulas quaſdam generales. Regulæ eligendæ ſunt tales, quæ opponun-

(a) *Frider.. cap. 1. d. Scorb. pag. 13.*

nuntur morbi cauſis. Aer convenit purus ſine putridis exhalationibus, præſertim in his caſibus, ubi ſcorbutus ortus eſt ab aere craſſo, & impuro. Puliendæ igitur ſunt ægrorum domus a quacumque impuritate, cum Addington (a) unam ex præcipuis cauſis ſcorbuti maris in navium immunditie determinet. Ita conſulit non tantum navem mundare a quacumque ſpurcitie, verum etiam ſuppellectiles omnes ventilare, ac aerem navis innovare. Ad hunc finem loca quęrenda ſunt a paludibus diſtantia. Juvabit etiam habere domum expoſitam ventis ſalubribus, & habitare ſatis alta illius parte in amplo cubiculo. Hoc ſaltem obſervare debent, qui non poſſunt a locis minus ſalubribus diſcedere: & inſuper ignem frequenter excitando, cubiculum ab humidis, & corruptis effluviis liberare: ideoque nonnulli medici dicunt, neque male, ligna aliqua eſſe comburenda, in quibus abundant balſamicæ particulæ ex. gr. juniperinum, & ſuccini quoque aliquid comburunt, quibus balſamicis particulis noxia qualitas peſtiferorum effluviorum invertitur. In ſcorbuto alcalino fœtido erunt valde utilia ſuffumigia ex aceto, & aceſcentibus ſtirpibus parata. Illis accenſionibus, etiam nimio frigori occurritur, quod inter cauſas ſcorbuti recenſuimus. Alia regula ſumme utilis erit, motum muſcularem non ommittere, ſed ambulare, & ſe exercere. At ſi æger debilis eſt, dummodo nondum lecto addictus, moveri debet aliquo vehiculo. Si morbus ægrum in lecto tenet, frictio-

(a) *Loc. ſupracit. pag.* 11.

ſrictiones id perficient, quod non poteſt per impeditum muſcularem motum obtineri. Dici non poteſt, quam utiles, imo quam neceſſariæ ſint in his caſibus frictiones, adeo ut medicus prudens eas ſemper commendare debeat, ſed cum hoc diſcrimine, ut ſint vel majores, vel minores, prout eſt ægri ſtatus. Interim circumſtantias debet attendere; nam fieri poteſt, ut ſit aliqua, quæ frictiones prohibeat: verb. gr. febris vehementior, vel hæmorragia. In his omnibus diligentia medici neceſſaria eſt, ſed magis neceſſaria in præſcribendo cibo, & potu. Cibi in genere conveniunt tenues, & teneri, ut concoctio fiat optima, & ſtomachus minus habeat laboris in illa perficienda, & ideo quoque carnes ſalitæ, caſeus, & alia hujuſmodi noxia ſunt. Lenes ſimul cibi eſſe debent ad acrimoniam humorum demulcendam. Qualitas ciborum facit ad meliorem concoctionem, ſed etiam quantitas obſervanda eſt. Hæc ſi moderata eſt, juvat etiam ad id, quod corpus tanto minus gravatur, & vitæ vires facilius craſſos, & acres humores attenuant, & ſubigunt. Aqua bibenda eſt pura, in quibuſdam caſibus poteſt convenire gelida. Et quamquam ſpiritus ardentes, & liquores fermentati ſint interdum cauſa ſcorbuti, interdum tamen paucum vinum auſterum, aut tenue, & dilutum utile eſſe poteſt. Quid utilitatis præſtet vinum, & quando hoc dicam cum de variis ſpeciebus ſcorbuti curandi ſermonem faciam, & tunc ſimul monebo, qualis ſpecies, & potus, & cibi præſcribendæ ſint. Affectus animi triſtes, & melancoci relinquendi ſunt, & tentandum præſertim, ut non metuant ægri, ac de ſalute ſua deſperent. Quod tamen difficiliter obtinetur, quia hujuſmodi

ægri meticuloſi ſunt. Medicus in hac re ſummam adhibeat prudentiam, & omni modo tentet imbecillum animum confirmare. Poſt prandium præcipue, & poſt cœnam neceſſarium eſt, ut ægri hilares ſint, neque tunc unquam ſtudia colenda ſunt, aut animus triſtibus notitiis conturbandus. De ſomno nihil dici poteſt, quod ſit omnibus æque utile: cum alias magis, alias minus longus poſſit convenire. Hoc diſcrimen definiri poteſt doctrina Boerhavii aphoriſtica, qui (*a*) expoſuit effectus varios longioris, & brevioris ſomni. Prout iſti varii effectus huic, aut illi ſcorbuti ſpeciei convenire videntur, ita ſequendi ſunt, aut vitandi. Aliæ quoque cautelæ obſervandæ ſunt: ex. gr. illæ accenſiones lignorum odoriferum eo magis adhibendæ ſunt, quo magis ad regionis humiditatem: etiam aeris ſtatus auſtrinus, & pluvioſus, aut nebuloſus adjungitur. Diligenter vitandus eſt nocturnus aer, maxime in his circumſtantiis: calcei, & cruralia madefacta mutanda ſunt.

CA-

(a) *Boerhav. inſtit. medic.* §. 770.

CAPUT SECUNDUM.

Sequuntur aliæ cautelæ practicæ generales.

SI morbus profundiores habet radices, & medicamenta exigit indicationes generales occurrunt iſtæ, craſſitiem attenuandi, leniendi acrimoniam, & ſolidis debilibus robur reſtituendi. In craſſitie attenuanda, eligenda ſunt medicamenta, quæ hanc vim habeant, ſed ſimul contraria ſint acrimoniæ prædominanti: quia notum eſt, multas eſſe ſpecies attenuantium, ut acida vegetabilia naturalia, & ea, quæ ſecundam fermentationem paſſa ſunt. Acida vegetabilia ex. gr. olera quædam aceſsentia, fructus horarii, hæc naturalia ſunt: ad acida vegetabilia fermentata pertinet acetum. Attenuantia ſunt etiam aromata, ſapones ex alcali, aut fixo, aut volatili, ſales alcalini fixi, aut volatiles, ſales neutri. Sed iſti ſales alcalini, & ſapones & aromata, conveniunt ex. gr. in acida ſpecie ſcorbuti, in alcalina noxii eſsent, & viciſſim in hac utilia eſsent olera illa aceſcentia, & fructus horæi, noxii ſales alcalini, & cætera hujuſmodi remedia, quia ſic fieret major acrimonia, quę jam prædominatur. Dum morbus eſt incipiens, in quo ſtatu craſſities humorum major eſt, acrimonia vero minor, magis acria medicamenta præſcribenda ſunt, quia partes ſolidæ ſi ſtimulantur, & urgentur ab iis, adhuc ſufficiunt ad vim ſuſtinendam. Non pari gradu res procedit, cum morbus confirmatus eſt, quia tunc craſſities decreſcit, ſed acrimonia major fit. Adde ſolida robur amittere, & debiliſſima fieri. Acria igitur remedia acrimoniam magis

exaſperarent, & periculum eſset etiam, ne ſolida a nimio ſtimulo rumperentur. Imo in his caſibus, in quibus licet uſurpare remedia aliquanto acriora, medici tamen cautiores monent, his alia eſſe addenda mitiora, ut priorum activitatem moderentur. Quod ſi illud evenit, ut humores quamdam ſpeciem putredinis ſuſcipiant, tunc multo magis relinquenda ſunt remedia acria, & attenuantia, & potius veniendum eſt ad modice adſtringentia, quæ frigida nominantur. Ceſſat enim indicatio attenuandi craſſitiem, & naſcitur contraria cogendi ea, quæ ſunt nimis tenuia. Id ut dixi, obtinetur per frigida adſtringentia. Hæc duobus modis utilia ſunt in hoc caſu: primum jam poſui: alter modus eſt roborandi ſolida debilia. Tertia enim eſt indicatio, quæ impletur in aliis caſibus, aliis medicamentis. Nam quia variæ ſunt morbi ſpecies, & variæ ſpecies attenuantium accomodandæ ſunt; ita & de corroborantibus credendum eſt. Frigida adſtringentia accomodantur ægris, in quibus calor, & initia ſunt putredinis: in quibus autem frigus, & craſſities, apta ſunt calida, & aromatica corroborantia. Hæc igitur adhibenda ſunt, etiam ſi aliqua obſervatur tenuitas humorum, quæ non ex initiis putredinis procedat, ſed ex defectu virium concoquentium. Monenda etiam quædam ad acrimoniam ſpectantia melius eſt acrimoniam invertere, & hoc modo tollere aptis remediis, quam glutinoſis, & incraſſantibus retundere atque demulcere. Nemo tamen credat numquam glutinoſa, & incraſſantia convenire: imo tunc fere conveniunt, cum colliquatio illa apparet, quæ fit in veteri morbo, ſed medicus in eo caſu ſummopere prudens eſſe debet. Verum acrimoniæ plerum-

rumque medendum eſt, dum morbus adeo non proceſſit, atque ideo colliquatio illa non adeſt, verum potius humorum craſſities. Hæc ratio eſt, ob quam ad acrimoniam lędentem vincendam magis conveniunt remedia attenuantia, & ſalina contrariæ naturæ iis ſalibus, qui morbum efficiunt. Objicere nobis aliquis poſſet, primis morbi temporibus, cum adeſt craſſities, lac optimo cum ſucceſſu præberi, & tamen lac habere vim incraſſantem. Qui ſic obiiciat, oſtendit, ſe neſcire quomodo, & quando lac convenire poſſit. Primum lac prompte a viribus corporis concoquitur, atque ſubigitur, hæ autem vires in ſcorbuticis ſunt valde debiles, atque ideo neceſſarium eſt dare cibos iis convenientes: uullumque eſt convenientius, quam lac, quia jam prope redactum eſt in naturam animalem. Deinde lac habet partem aliquam pinguem, a qua procedit ejus vis incraſſandi, ſed major pars attenuantem, diluentem, ſaponaceam facultatem poſſidet: quæ cauſa eſt, ut ſemper lac deſideretur ex animalibus, quæ virentibus veſcuntur, non fœno, quia in tali lacte ea vis attenuans magis ineſt, quam in alio. Poſtremo conſiderationem meretur ex lactis generibus, cum morbus recens eſt, eligi quæ liquidiora ſunt, & minus incraſsantia, & eadem tenuiora fieri ope aquæ adjectæ; ita ut appareat in hoc lactis uſu minimam vim eſse incraſsandi, diluendi autem, attenuandi, & blandum, facilem, tenerum cibum præſtandi, maximam. Inter remedia autem, quæ attenuant, excellit venæ ſectio, ex qua etiam illud bonum recipitur, quia ipſius acritatis vim contra ſolida imminuit, atque refringit. Et tamen in ſcorbuticis, ſi non plene exulare, minus certe loci habere

debet venæ ſectio. Si naturales ſanguinis evacuationes quædam ſuppreſſæ ſint, ut ex hæmorrhoidibus in viris, ex utero in fœminis, incrementum certe morbo dant, ideoque revocandæ omni molimine ſunt, & interdum vena ſtatim ſecanda eſt, ideſt in principio morbi: item ſi corpus, & habitus ſcorbutici ſanguine plenior eſt: fieri etiam poteſt, ut venæ ſectio iteranda ſit. Sed ſi neque ſanguinis evacuatio naturalis ulla ſuppreſſa ſit, neque adſit plethora, in principio vix aliquis, in proceſſu morbi, nullus venæ ſectioni locus eſt. Loquor autem de ea venæ ſectione, quæ inſtituitur ad curam morbi, quia poſſunt evenire quædam ſymptomata, quæ requirunt venæ ſectionem: ſed tunc non ad morbum curandum ea ſpectat, verum ad ſymptomatis ferocitatem mitigandam. Hæc apparebunt in capitibus ſubſequentibus, in quibus curam ſymptomatum peculiarem deſcribam. Cum autem expedit ſanguinem evacuare, fere ſemper ad venæ ſectionem recurrendum eſt: aliquando tamen, ubi eſt ſuppreſſio hęmorrhoidalis fluxus, & hunc fluxum a natura deſiderari apparet, hirudines vaſis iis admovendæ ſunt. Cucurbitulæ raro aliquam utilitatem exhibent. Etiam in uſu catharticorum quædam obſervanda ſunt. Certum eſt, ventriculum, & inteſtina craſſis, crudiſque humoribus infarciri in ſcorbuto, & ob hanc cauſam quoque concoctionem depravari, quæ potius integra eſſe debet. Neque minus certum eſt, nihil plus conducere ad liberandas primas vias ab illis craſſis humoribus, quam purgantia, quæ hac parte proficiunt, etiam ad concoctionem. Quod ſi etiam conſideremus, quo modo quædam eorum particulæ, vaſa chylifera ſubeuntes, cum ſanguine miſcentur,

quæ

quæ habent facultatem incidendi, & attenuandi, intelligimus hoc modo minui ex parte poſſe humorum craſſitiem. Sed cathartica ſi nimis valida ſunt, noxia deprehenduntur, quam maxime, quod jam demonſtratum eſt ex multis obſervationibus celeberrimorum medicorum. Neque ſolum morbum ipſum augent, verum etiam alia, atque alia ſymptomata accerſunt, diarrhœam, dyſenteriam &c. Quare draſticis omnibus abſtinendum eſt ſemper, præcipue vero, cum ventris dolores ipſe per ſe ſcorbutus movet. Potius mitibus, lenientibus, attenuantibus inſiſtendum eſt, quæ dari poſsunt parvis doſibus, & repetitis, ut purgatio epicratica inſtituatur. Pro varia morbi ſpecie variæ naturæ purgantia præſcribemus, & illud eligatur, quod cuique ſpeciei ſit aptum. Quod ſi craſſis illis humoribus, atque crudis, ſtomachum prægravatum eſse apparet, neque hic per purgantia levari poteſt, interdum licebit emeticum propinare, dum morbus ſit incipiens, acrimonia humorum non magna, parva etiam ſolidorum debilitas, & dummodo nulla ſit res, quæ prohibeat. Niſi his cum cautelis, vomitus nunquam excitandus eſt, quia triſtiſſimos effectus poteſt producere, & præcipue, ſi morbus abdominis viſcera vitiaverit, & illa corrumpi jam inceperint. Tunc ſubitanea quoque mors poteſt ſuccedere. Tanto magis hæc attendenda ſunt, quia imperiti quidam medici, & circulatores, credentes viſcera ſolum eſſe obſtructa, atque ex tali obſtructione morbum provenire, promittunt ſe eam reſeraturos, & morbum eſſe ſublaturos enormi vomitu, ad quem obtinendum antimonialia remedia propinant. Et quamquam non ſemper exitus funeſtus ſubſequatur, tamen plurimum naſcitur nocumen-

cumenti: ſaltem hac de cauſa, quia hoc tamquam univerſale monitum a perito quoque medico traditur, omne remedium debilitans in ſcorbuto damnoſum eſſe. Idcirco monui ut purgantia quoque ſint lenia, & refracta doſi, ſæpiuſque data. Hæc autem, non ſolum incipiente malo, valent ad primas vias detergendas: ſed ſuam utilitatem habent etiam in morbi progreſſu, cum ſpecifica medicamenta præſcribimus: valent enim ad materiam morboſam per alvum ſenſim expellendam. Cum enim medicus ſpecifica antiſcorbutica adhibet, ut corrigat illam acrimoniam, a qua morbus producitur, ſimul etiam debet quærere, ut acrem materiam ex parte eliminet. Ideo non ſolum evacuationem per alvum tentamus, ſed etiam per ſudorem, & per urinam. In hoc præceptum Hippocratis nemo obliviſcatur: *quo maxime natura vergit, per loca convenientia eo ducere convenit*. Sudorem, & urinam expellunt pleraque ipſa remedia anti-ſcorbutica, cum aperientibus mixta, modo ſi conveniens regimen adhibeatur. Balnea quoque, & pediluvia ſudorem invitant, facta ex aqua aut tepida, aut calida. Alias in aqua decoquuntur plantæ aliquot variæ prout fert indicatio. Alias balneum frigidum adhibetur, idque proficuum eſt, præſertim in putrido ſcorbuto. Balnea per venas bibulas multum humoris intra corpus mittunt, quod valde juvat ad acritatem eluendam, & maxime commendabile eſt, quia humor iſte venit intra maſſam humorum abſque ſtomachi incommoditate, & abſque alteratione, quam omnia ingeſta in ventriculo patiuntur. Balneum non omnibus tamen utile eſt morbi temporibus. Convenit præſertim morbi principio, cum multa ſolidorum debilitas nondum eſt. Et ſi quis metuit, ne id hanc debili-

bilitatem majorem faciat, ope frictionum occurrendum eſt. Ipſum etiam balneum vires frangit, cum longo tempore æger in eo conſiſtit. Modus igitur adhibendus, ut vires conſerventur.

CAPUT TERTIUM.

De curatione ſalino-muriaticæ acrimoniæ.

HÆ ſunt generales quædam regulæ convenientes omnibus ſcorbuti ſpeciebus. Sed particulares cujuſque ſpeciei tradendæ ſunt. Prima morbi ſpecies eſt ſalino-muriatica, in qua curam hoc modo dirigemus. Pro cibo convenient juſcula ex hordeo, avena, oryza, hæcque ipſa ſemina cerealia cocta aſſumpta, tum endivia, lactuca, acetoſa, borrago, cichoreum iisdem juſculis incocta, fructus horæi maturi. Carnes aut omnino fugiantur, aut aſſumantur parciſſima copia, eæque ſint ex teneris animalibus gramivoris; nam carnivora acriori ſale prædita ſunt. In cibis præparandis juvabit maxime ſal marinum non adhibere: ſi tamen æger id ſuſtinere non poteſt, minimum ſalis ponatur in condituris. Potus aquæ puræ copioſus, ſalubris erit: ſed etiam vinum concedi poteſt tenue, & dilutum, interdum auſterum, & vetus ad ſtomachum roborandum. In primis tamen videndum eſt, ægroti temperamentum ſit calidum, an frigidum. Si calidum eſt, cibi conveniunt vegetabiles ejus generis, quod propoſui, & maxime aceſcentes, aut farinoſi: magis vitandi carnoſi, & præcipue aſſi, vitandum etiam vinum validum, & plenum. Contra vero ſi frigidum eſt, facilius carnes, & ovi, vitelli juſculo diluti, concedi poſſunt, ex vegetabilibus alia ſumi poſſunt, ut eruca apium, celeri, braſſica, vinum

num meracius dandum. Tum ad medicamenta veniendum eſt, & primum venter purgandus eſt. Ad hunc finem in calido temperamento caſſia, manna, magneſia alba, cremor tartari, & alia hujuſmodi apta ſunt: quibus ſuperbibi poteſt ſerum lactis: in frigido temperamento etiam rhabarbarum, aloe, & quædam compoſitiones ex his confectæ. Poſtea juvabit aperientia quædam, & digeſtiva adhibere, inter quæ eminet elyxir proprietatis Paracelſi cum acido, vel aperiens Claude i, tinctura tartari Helvetii, aut martis aronizata VVedelii, extractus fumariæ, aliaque ex hac claſſe. Quidam auctores in acrimonia muriatica ſales alcalinos volatiles maxime commendant, qui etiam offam Helmontianam aptam judicant huic ſcopo. Hiſce medicamentis addi poſſunt decoctiones quarumdam plantarum anti ſcorbuticarum, quæ in hac ſpecie præcipuæ ſunt agrimonia, beccabunga, naſturtium aquaticum, ſed magis etiam acetoſa, acetoſella, juvat etiam ſuccus depuratus earumdem vel ſolus, vel mixtus cum ſero lactis, vel cum aliqua tinctura ex ſuperioribus. Seri lactis vel depurati, vel deſtillati frequentes, & copioſæ potiones ab Hoſmanno præcipiuntur, maximeque proficuæ dicuntur. Et ſane multum valent ad humorum acrimoniam diluendam, eaque vis diluens ſingularis eſt in ſero. Ex hoc cognoſci poteſt non omnino inanem eſſe Smythii jactationem, ſcribentis, ſe puræ aquæ largo uſu ſcorbuticos ſanaſſe, ſales nimirum aqua diluente, maxime tamen laudari ſolet aqua calcis tamquam validiſſimum remedium, quamquam alii ejus uſum damnent, in quibus ſunt Galli. Sed illud omnes una voce fatentur, eam aquam talem vim habere, ut particulas ſalis marini, quibus corporis

poris humores infecti ſunt, veluti extricet, & ad exitum diſponat. Quod ſi ita eſt, apparet, multum utilitatis ex ea capi poſſe. Qui damnant ejus uſum, tamquam noxium, videntur eam adhibuiſſe vel nimis acrem, vel in illis ſcorbuti ſpeciebus, in quibus minime convenit. Sed in hac ſpecie idonea eſt propter dictam rationem, niſi quod interdum acrior, interdum lenior præſcribenda eſt. Itaque modo ſecunda ejus infuſio, modo tertia in uſum venire debet. Si tamen adhuc acrimonia ejus timetur, & revera nimis acres corporis humores apparent, optima methodus eſt aquam calcis lacti nubere. In hac conſociatione varietas tamen eſt, quia alias lactis, & aquæ calcis æquales portiones conſociantur, alias major lactis portio, alias major aquæ ſumitur, pro vario gradu acrimoniæ prædominantis, & pro varia medica intentione modo magis attenuandi, & expellendi, modo leniendi, & temperandi. Cæterum aqua calcis hoc etiam præſtat, cum lacti adjungitur, ut id a coagulatione præſervet, juxta celeberrimi quoque Morgagni obſervationes, quæ res eſt ſummopere expetenda, quia plerumque in ſcorbuticorum ſtomacho lac coagulatur, aut difficilius concoquitur. Uſus eſt etiam apud quosdam lac coquendi cum herbis antiſcorbuticis, & illud exhibendi. In hac ſpecie morbi, ſi hoc remedium arridet, conveniunt plantæ aliquæ ex eo genere, quod ſuprapoſitum eſt. Hæc methodus ſimilis eſt ei, quæ legitur apud Hippocratem, qui lac ſolebat decoctioni hordei diluere. Non multo aliter Hofmanus excogitavit, lac miſceri poſſe cum aquis mineralibus, de qua methodo idem pulcherrimam edidit diſſertationem. In ſcorbuto ſalino-muriatico aut cum aquis acidulis

dulis miſcela facienda eſt, qualis in Italia eſt ea, quæ in Agro Vicetino fontis Lælii dicitur, aut cum dulcibus, & bolaribus, ut Nuceriana, aut quæ Blandulæ dicitur: ſalſæ, & ſulphureæ minus conveniunt. Quod ſi temperandi, & incraſſandi intentio oritur, & ſi nutritione ægrotus eget, lac cum cocholata præbetur, aut cum paſta, ſive butyro, ex cacao confecto. Quod cum cocholata datur, ſtomachum roborat, & concoctionem juvat. His non juvantibus, interdum ad lacteam diætam confugiendum eſt, ſi æger eam tolerare poteſt, & ſi ſtomachus a lacte non abhorret: in eaque aut longius, aut brevius permanere convenit pro variis circumſtantiis. Alias tantum lactea ſemidiæta ſufficit. Quod ſi ullum eſt remedium, a quo magnum beneficium ſperare liceat, hoc certe eſt. Si ægrotus lac faſtidit, aut ſtomachus ejus concoquere illud non poteſt, ſemina farinoſo-oleoſa, ſupplere poſſunt, aut cocta, aut cum ſuo juſculo ſumpta, aut potius, ſi emulſiones ex iis conficiantur, monet hoc loco Svvietenius emulſiones iſtas eſſe debere valde dilutas, quia eorum ſeminum oleum, ſi cum multa aqua junctum, & ſubactum non eſt, proclive eſt ad ranciditatem concipiendam, ſi in debilem ſtomachum venerit, qualem habent ſcorbutici. Quare ſoleo ego præſcribere largas, & dilutas emulſiones, factas ex amygdalis dulcibus, peponis, & cucumeris ſeminibus in aqua deſtillata acetoſæ: & ſi aliqui adſunt ſpaſmi, aut dolores, aut vigiliæ moleſtæ ſunt, addo iis albi papaveris ſemina. Ex his cognovi ſemper leniri, aut vinci acrimonias vel maxime pertinaces. Nunc opus eſt me in publicum efferre remedium valde utile, ideſt aquam deſtillatam ex teneris tramitibus vitis, præcipue muſcatellæ.

Hoc

Hoc remedium quidam ſolebant premere tamquam arcanum, ego qui illud ex famigeratiſſimo Alexandro Knips Macoppe præceptore meo quondam didici, in vulgus notum eſſe volui. Præter hanc aquam aliud medicamentum iidem tramites miniſtrant: nimirum ex iis ſuccus exprimitur, cui miſcetur tertia pars mellis maſſilienſis, aut noſtratis etiam, ſed melioris notæ. Hæc mixtura vim habet ſubacidam ſaponaceam, incidentem, muriaticæ acrimoniæ plane contrariam. Plerique ei adjungere ſolent dentem apri præparatum, vel præparatos cancrorum oculos, quæ additamenta, ut mihi videtur, potius ei vim adimunt, quam adiiciunt, quia vim acidam imbibunt, & refringunt. Hujus medicamenti quantitas, quæ quotidie potari debet, eſt decem unciarum in duas portiones: altera portio ſumitur mane, tribus ante prandium horis, altera veſperi, multis horis poſt prandium, duabus ſcilicet, aut tribus ante cœnam. Uſus iſtius remedii quibuſdam ſolet expleri unciis quadraginta, nempe quatuor diebus: ſed ſi ſic non profuit, iterandum eſt. Fere autem aut ſudorem, aut urinam expellit, pro varia ægrotantis diſpoſitione: interdum tamen nullam evacuationem promovet, ſed agit acrimoniam præpollentem corrigendo. Præter hæc Sylvius Deleboe commendat acida foſſilia quædam, velut eſt dulcis ſpiritus ſalis, aut nitri, præſertim Glauberiana methodo eductus. Inter foſſilia ego nitrum, ejuſque ſpiritum expertus ſum maxime proficua. Nam de nitro ratio apparet: quia ſal eſt mediæ naturæ ad acidum vergens, a quo ſalſum corrigi poteſt, & immutari. Uno verbo nitrum aqua multa dilutum ſummum eſt anti-ſcorbuticum remedium. Interdum hæc contra remedia morbus ſubſiſtit, ac neque ipſius ce-

dit lactis uſui. Tunc diaphoretica, & ſudorifera tentanda ſunt: ſed ex ipſis temperatiora eligenda ſunt, velut nitrum ſtibiatum, ſtibium diaphoreticum, dens apri præparatus, oculi cancrorum, matres perlarum, ſuccinum &c. quæ quamquam alcalica ſint, proſunt tamen, quia, ut eſt Sylvii Deleboe opinio, abſorbent acidum concentratum muriatici principii. Magis tamen faciet ad ſudorem promovendum ſemicupium, factum cum aqua tepida, in qua antea decoctæ ſint malva, viola, brancaurſina, acetoſa, parietaria. Exiens e ſemicupio ægrotus, detergendus linteis, & in lecto ponendus, ſudorque juvandus potione aquæ calidæ, & ſubacidæ, vel ſero lactis. Cum tempus anni fert, proderit potio methodica aquarum mineralium non modo, ut dictum eſt, cum lacte commixtarum, ſed etiam ſi ſolæ per ſe bibantur: modo autem dulces, ut Nucerianæ, modo acidulæ, ut fontis Lælii magis convenient. Aqua Nuceriana ſpecificum ſcorbuti muriatici fere dici poteſt: quia præterquam quod dilutione, prodeſt etiam dum ſalium aſpritudinem bolo temperat. Neque tamen hæc ſola credendum eſt, remedia eſſe proficua, nam ipſæ etiam dulcificantes, nutrienteſque decoctiones multum valent. Quapropter hac ego uti ſoleo.

℞. Decoct. in aq. font. naſ. aquat.
acetoſ. ℔iiß.
Radic. Cinn. elect. inci.
Cann. mont. inciſ. aa ʒj.
Raſ. ebur. ℥ß.
Cortic. caſcar. ℈ß.
Pulp. Teſtud. nemor. ℥iij.
M. f. inf. S. A. coqu. in org. vitr. circul. bene clauſ.
Colat. cap. mane, & veſp. ℥x.

Ni-

Nihil addo de diureticis, quia multa ex propoſitis medicamentis ad hunc ſcopum collimant.

CAPUT QUARTUM.

De curatione acrimoniæ acido-auſteræ.

VEnio ad alteram ſcorbuti ſpeciem, quæ eſt acida, ſive acido-auſtera. In ea talis methodus utilis deprehenditur. Inter purgantia magneſia locum habet conſiderabilem, quia acida, quæ invenit in ſtomacho, & inteſtinis imbibit, eaque commutat. Præſcribi poteſt quolibet quarto, aut quinto die ad unciam ſemis. Ejus loco etiam ſequens medicamentum poteſt uſurpari.

℞. Tart. ſolub. ʒij.
Cryſtal. tart.
Sal. Polycreſt. aa ʒß.
M. f. ſol. j.

Id ſumi poteſt in ſero lactis diſtillato, ejuſque ſeri libra una iterum poſt duas horas bibenda eſt. Diebus intermediis conveniens erit magneſia ad ʒj. in decoctione foliorum camedryos centaureæ minoris, cochleariæ, facta cum eodem ſero: aut pro magneſia præſcribi ſæpe poteſt pulvis compoſitus ex oculis cancr. pp. coral. pp. matr. perl. pp. Ex abſorbentibus alcalino-terreis, nullum præſtantius datur, quam oſtreodermata ad Hombergianam methodum parata. Hoc medicamentum ſumitur ad ʒß. in eadem decoctione, cui addi poteſt naſturtium aquaticum, & abſynthium. Poſt abſorbentium uſum, ad aliquot dies protractum, tranſeundum eſt ad digeſtiva, quæ non modo acidi corrigendi virtutem habeant, ſed etiam viſciditatem, maxime in primis viis collectam pro-

pter viſcerum naturalium atoniam, reſolvendi, atque extergendi. Qua in re nefas ducerem pilulas Beccarianas ſilentio præterire, quarum laudes jam a Valentinio, Nentero, Sthaalio, & Hofmanno celebratæ ſunt. Ego poſſum affirmare, eas me numquam in acidis viſcerum cruditatibus, obſtructionibus, febribus gaſtricis, atque chronicis, præſcripſiſſe, imo & in menſtruorum, lochiorumque ſuppreſſionibus, quin optatum ſucceſſum fuerim conſequutus, ideoque magno in pretio apud me ſunt, ita ut quoad certam efficaciam illas opio, mercurio, chinæ chinæ ſi non ſuperiores ſaltem æquales eſſe exiſtimem. Solo hoc remedio ad ℈ij. quotidie propinato cum aliqua decoctione amara, atque antiſcorbutica, non ſemel acidum ſcorbutum eradicavi. Quod ſi hæc doſis nimis purgat, minui poteſt, vel ſumi alternis tantum diebus. Poſt hoc medicamentum nominandæ ſunt tincturæ eædem fere, quas in muriatica ſpecie propoſui, aut etiam validiores, & acriores. Magnis laudibus commendanda eſt tinctura abſynthii, quæ Venetiis paratur ab illuſtri pharmacopola cognomine Mantuano. Tum ſalia lixivialia, ex cineribus plantarum amararum educta, in uſu eſſe poſſunt: hujuſmodi recenſentur ſal abſynthii, cardui Benedicti, centaureæ &c. Sed præ his ſaponacea medicamenta magnifacienda ſunt, ut ſapo Venetus, ſtarchejanus, chymicus Boerhavvii. In horum cenſum oximel quoque venire poteſt, tum ſimplex, quam ſcilliticum: mel enim in ſe ſaponaceam vim naturalem poſſidet. Ego ſæpius pilulas confeci ex myrrha, ſapone Veneto, china china cum ſyrupo de abſythio, quarum uſum felicem ſum expertus. Digeſtivum anti-ſcorbuticum Molenbrocii, quod eſt valde utile hic deſcribam.

Croc.

℞. Croc. mart. aperit. ℥ß.
Magiſt. cochlear. Dravvitz.
Tart. vitriol.
Nitr. antim. aa ʒi.
Fæcul. Aron. ʒiß.
M. f. pulv. ſumend. a ℈j. ad ʒß.

Huic ſuperbibenda eſt decoctio aliqua ex ſupra nòminatis, in qua concinnanda addi poſſunt quinque radices aperientes, & præcipue radix Pareiræ bravæ. Aliam quoque viam ego inſiſto ad primas vias acido ſcorbutico obductas detergendas, utorque rhabarbaro hoc modo.

℞. Herb. fumar.
Naſt. aquat.
Abrot an. p. j
Rhab. elect. inciſ. ℈ij.
Spic.
Sal. tart. aa. gr. x.
Ser. caprin. diſtillat. ℔ß.
m. contuſ. herb. f. inf. p. noct. mane levit. ebul. vaſ. clauſ. colat. aromat. aq. cynam. & ſumat quotidie.

Poſtquam ope remedii hujuſce acidum ex primis viis fuerit expulſum, tum demum adhibendi ſunt ſucci depurati, expreſſi ex herbis anti-ſcorbuticis, qui ſucci decoctionibus validiores ęſtimandi ſunt.

℞. Decoct. in ſer. cap. diſtil. fumar.
Naſt. aq.
Beccab. ℥viij.

Co-

Colat. add.

ſucc. depur. Fumar.
Naſt. aquat.
Beccab. aa ℥j.
Tint. ſal. tart. ʒß.

m. pro una vice, & ſic pro ſing.

Neque hæ ſolæ plantæ ſunt, quæ utiles in hac morbi ſpecie deprehenduntur, & quæ, vel in decoctionibus uſurpari poſsunt, vel ad ſuccum earum exprimendum multæ aliæ præterea ſunt, ut Artemiſia, Chamępytis, Fumaria, tum Abſynthium, Acriviola, Alliaria, Arum, Gentiana, Piperitis, Raphanus, & hortenſis, & ruſticanus, Ruta, Sabina, Saponaria, Trifolium aquaticum. Alii alias magis commendant, ut Braſſicam Reigerus, & Grubius, & Velſchius, maxime rubram, quam braſſicæ ſpeciem Geoffroy quoque reliquis efficaciorem exiſtimavit. Sedum minus vermiculare acre celebrat Belovvius, & affirmat illius ope ſe non paucos milites ſcorbuto affectos ſanaſse. De Trifolio aquatico mira prædicat Simon Pauli. Sed cochlearia tamquam potentiſſimum remedium ab omnibus fere laudibus extollitur. Inter medicamenta vero compoſita, idem apparet Auctorum laudandi ſtudium. Ita Dravvitzius magiſterium Cochleariæ, Mauritius Hofmannus eſſentiam Trifolii aquatici, alii ſilveſtris, alii aquatici naſturtii ſpiritum præferunt, cujus conficiendi modos varios expoſuit Bonetus. Remedia etiam ex pluribus ſimul herbis ſumptis confici ſolent, ut eſt ille ſpiritus anti-ſcorbuticus, quem Etmullerus deſcripſit, cereviſia anti-ſcorbutica Timęi, vinum antiſcorbuticum, ut eſt apud Mangetum, decoctum, Raphani ruſticani, ſeminis fœniculi, & cumini foliorum cochleariæ,

abſyn-

abſynthii, trifolii aquatici, quo decocto Danos multum nunc uti affirmat clariſſimus Roncallius. Deinde inter præſtantiſſima ſcorbuti remedia, ut dixi, lac habetur, de quo Brucæus ita ſcripſit: *primas vero partes lactis caprini uſus ſibi vindicat: eſt enim lac boni ſucci, & facile a natura vincitur, & multi longo ejus ſolius uſu, cum beccapungam incoxiſſent, aut naſturtium aquaticum, aut cochleariam, fuerunt reſtituti.* Sed in acida morbi ſpecie non ſemper, neque omni tempore id præſcribendum eſt: imo nonniſi multis cum cautelis: & poſtquam cura multo tempore proceſſit, eo uti licet. Ab Etmullero, hæc regula prodita eſt, lac non eſse exhibendum in ſcorbuto, niſi prius ab acido primæ viæ fuerint liberatæ. Sed alia quoque multa medicus debet attendere. Modus vero lac exhibendi maxime conveniens eſt, cum ei aqua calcis jungitur ſecundæ, aut tertiæ infuſionis pro vario morbi gradu. Sic tutius datur variis de cauſis. Primo coagulatio, quæ facilis eſse poteſt in eorum ſtomacho, qui acido ſcorbuto laborant, ſic præcavetur; nam diximus; Clariſſimi Morgagni experimentis evictum eſse, per aquam calcis lac a coagulatione defendi. Deinde aqua calcis alcalinum eſt medicamentum, quod lacti mixtum, ſuaque in acrimonia temperatum, acidam dyſcraſiam emendabit, & morbo medebitur, quod Burletus pluribus nos docuit. Præterea cochlearia coqui poteſt cum lacte, & tunc lac aptum eſt in acido ſcorbuto, & præcipue ſi aliquot unciæ aquæ thędæ eidem immiſceantur, cum eodem ſic nupto uſque adhuc præſtantius remedium expertus non fuerim. Quod ſi morbus pertinax ſit, nec iis remediis cedit, tunc monitum ſequemur Eugaleni, Brucæi-

que

que, & ad ſudorifera veniemus, quæ optima cenſentur, quia morbi materiam cum ſudore expellunt. Propterea ſoleo præſcribere ſequentes pilulas, quarum tres mane, totidemque veſperi, horis medicis ſumendæ ſunt, atque interea ægrotus in lecto manere debet, hiſque pilulis decoctionem ſuperbibere ad eumdem ſcopum collimantem.

℞. Extract. camedr.
Fumar.
Naſt. aquat.
Cochlear.
Flor. ſal. armon. mart.
ſal. volat. C. C. an. ℨj.
m. cum ſyrup. d. cort. citr. q. ſ. f. pil. aur. xxi.

His non juvantibus, ſubſtituemus ſequens decoctum cum eo pulvere, qui infra notatus eſt.

℞. Lign. Guaiac. raſ.
Saſſafr. an. ℨiij.
cortic. caſcar. ℈ß.
ſer. caprin. ſtill. ℔iijß.
m. f. int. p. noct. mane ebul. ad conſumpt. 3tiæ partis add. in fin ebullit.
Flor. ſamb.
Fol. cochlear.
acetoſel. an. p. j
colat. ſumat æger mane, & veſp. ℥viij.

℞. C. C. phil. pp.
Succin. alb. pulv.
Bezoart. miner. an. ℨj.
m. f. fol. iv. quorum unum capiatur mane, & veſpere cum prædict. decoctione.

Pro-

Proſtant nonnulla alia diaphoretica, atque ſudorifera, puta tinctura Bezoartica Michaelis, Liquor Bezoarticus Buſſii, Pulvis Bezoarticus Hofmanni, aut Ponæ, aut magni Ducis, ſtybium diaphoreticum, cerusſa Antimonii, Pulvis Viperinus, Unicornu, ſalia omnia volatilia, aliaque multa uſurpanda pro variis circumſtantiis. Ubi ex horum remediorum ſudor apparet, is juvandus eſt, largo potu ſeri deſtillati, ſi febris adeſt: ſi abeſt, lactis caprini, aut aſinini, cui nubi poteſt aqua diſtillata florum ſambuci, eſtque hoc remedium unum ex celeberrimis, quod ſeſe in ſanguinem inſinuans, ſalia diluendo, eadem promptiora facit ad exeundum ſimul cum ſudore; eorumque partem, quæ in ſanguine perſiſtit, egregie demulcet. Sequitur uſus martialium remediorum, quæ ad ſolida corroboranda præſtantiſſima quotidie experimur. Nam cum & in ſcorbuto debilitas ſolidorum ſit, tanquam effectus, & eorumdem laxitas prima ſit inter cauſas acidæ ſpeciei, nihil clarius eſt, quam calybeata medicamenta in hoc caſu cæteris palmam præripere. Sed aptum tempus eſt eligendum ad ea exhibenda, quia ſi viſcera obſtructa ſunt, niſi prius deobſtruentia anti-ſcorbutica adhibuerimus, calybeata hoc damnum afferunt, ut vaſculorum fibræ rigidiores factæ, partem liquidi impacti tenuiorem exprimant, craſſiorem retineant, & magis denſam reddant, quæ poſtea facile in ſcirrhum abit. Calybeatorum multæ ſunt præparationes: atque VVilliſius calybem cum ſulphure præparatum, & ſyrupum calibeatum, Nicolaus Lemerius tincturam martis tartarizatam, Ludovicus aliam ejuſmodi, Adrianus a minſith extractum martis aperiens, alii alia nobis exhibent. In humidis temperamentis, atque

in illis corporibus, in quibus magna fibrarum laxitas pallidusque cutis eſt color, calybs in ſubſtantia, ut ajunt, ſumi poteſt: in calidioribus, gracilioribusque corporibus ejus præparationes præferendæ ſunt delicatiores. Sæpe videmus virgines chloroſi laborantes, debiliſſimas, & in quocumque leviori corporis motu anhelantes, quæ uſu calybis facile reſtituuntur. Eaque vis maxime excellit in aquis ſic dictis martialibus, quarum uſum laudibus Hofmannus in cœlum fert, teſtaturque in acida acrimonia, & nominatim ſcorbutica, ſe adeo feliciter aquas vitriolico-martiales præſcripſiſſe, ut ſcorbuticos jam confirmatos ſanaverit. Hæ igitur tentandæ apto anni tempore: apud nos Recobarienſes, ut antea dixi, validiſſimæ, ſunt. Poſt quarum uſum, iterum ad lacteam diætam recurrere optimum erit conſilium, quam methodum fere prodigioſam eſſe mihi conſtitit. Cum balnea in ſcorbuto utilia prædicentur: in acido, Aponenſia, utpote ſulphurea, convenientiſſima judicantur, cum docet Andreas Baccius ea vim habere, qua *exſiccant*, *calefaciunt*, *abſtergunt*, *detergunt*, *digerunt*, *roborant*. Quin etiam eædem aquæ bibendæ ſunt, quarum virtus ſi major non eſt, at certe æqualis eſt virtuti aquarum Recobarienſium, ejuſdem Baccii auctoritate, a quo ſic ſcriptum eſt. *Quo uſu, ut etiam balneo, juvant ventriculum, ſiccando ſuperfluas ejus humiditates, appetentiam conciliando, digeſtionem confortando omnem, tum humidam, tum frigidam intemperiem corrigendo.* Illuſtris & nunquam ſatis laudandus Præceptor meus Knips macoppe multum iis aquis uti ſolebat, multumque levaminis ſuis ægris afferebat. Profecto abundant aquæ illæ particulis ſulphureo-ſalinis, quæ

balnei cauſa per venas bibulas in ſanguinem deductæ oleoſa portione acidorum ſalium aciem obtundunt, ſalinam eorum naturam plane invertunt. Si Thermarum iſtarum uſus in promptu non ſit, earum vicem ſupplebimus balneis ex aqua dulci, in qua prius coctæ ſint herbæ quædam, ut fumaria, vermicularis, perſicaria, naſturtium aquaticum ſimul cum ſalicis foliis: neque enim ad malam ſolum humorum qualitatem emendandam per hæc medicus debet proſpicere, ſed etiam ad ſolida corroboranda: ad quem finem aliquando balnea frigida etiam conveniunt, & præcipue ex aqua marina, ut docet Addington.

Victus in acido ſcorbuto eligi debet talis, qui ad alcalinam naturam vergat, fugiendaque vegetabilia acida, quibus acrimonia lædens augeri poteſt. Carnes teneræ vitulorum, pullorum que gallinaceorum, & hujuſmodi aptæ ſunt, in quarum jure ſic, ut apud Groenlandos in uſu eſt, coqui poſſunt cochlearia, atque acetoſa. Inter vegetabilia apta braſſica inter præcipua eſt, quam, ut dixi, laudavit Chriſtophorus Reigerus. Chemica ejus analyſis, a Geoffrojo inſtituta, oſtendit copioſo ſale ammoniacali, alcalinoque eam fœtam eſſe, quod etiam odor fœtidus ſignificat, qui ex ejusdem decocto expirat: idemque Geofrojus, ut innuimus, monet, magis efficacem, atque aptam eſſe braſſicam rubram. Inter animalia, quæ adverſus hanc morbi ſpeciem utilia ſunt, vipera nullo modo omittenda eſt, cujus medicum uſum valde proficuum in morbis cutaneis vel antiqui ſcriptores commendarunt. Reptilia omnia copioſum habent ſal alcalinum volatile, atque inter ea vipera maxime, ut chemica oſtendunt experimenta. Salia autem volatilia, quo-

rum in hac ſcorbuti ſpecie uſus eſt præſtantiſſimus, præterquamquod acida emendant, ſolidorum etiam augent oſcillationes, adeo ut interdum aſymetros motus inducant, quemadmodum ex uſu viperini pulveris febrem ortam eſſe notavit Scardona. Propterea in hoc morbo, quia ſolida debilitata ſunt, excellens remedium eſt, quod ex viperis paratur, multumque a Sylvatico laudatum. Ego ad hunc modum id ſoleo præſcribere.

℞. Decoct. fol. cochlear.
acetoſ. ℔. j.
Viper. recent. pp. ℥. j.
Pulp. Ranar. ℥. ij.
m. coq. S. A. in org. vitr. circul. bene clauſ. colatur. ſi pro uſu quotid. mane ad xxxx. dies.

Sed inter horum remediorum uſum, maximeque curatione jam procedente attendendum eſt remediis corroborantibus ſtomachicis opus eſſe, velut electuario diaſcordeo Fracaſtorii, ſucco abſynthii concreto, vel ejusdem Helvetiana tinctura. Inter roborantia ponenda ſunt etiam auſtera, quæ a Svvietenio acidorum deſtruentia vocata ſunt, quia nimirum languentes oſcillationes ſolidorum exſuſcitant, inque acida ſubiguntur. Ideo idem utiliſſimam credit mummam Brunvvicenſem, quæ incorrupta magnis Indiarum caloribus reſiſtit. Sed Chinachina quotidie mane ſcrupuli pondere ſumpta, inter optima remedia ad hunc ſcopum referenda eſt: ut & vinum illud antiſcorbuticum, quod Mangetus deſcribit. Si vero acida acrimonia aliquid etiam habet auſteri, cum eadem,

quæ hactenus enumerata ſunt remedia non ſint aliena, quædam tamen eorum præferenda ſunt: nimirum plantæ acres, aromaticæ, ſaliaque volatilia oleoſa, quorum nullum ſcribit Sylvius Deleboe efficacius medicamentum dari contra auſteritatem. Nam cum ſint ſummæ ſubtilitatis, atque mobilitatis, apparet, quam facile penetrare poſſint inter poros, quantumvis minutos, craſſorum, denſorumque fluidorum, ibique attritu magis liberata ſeſe in libertatem vindicare conantur, unde fluidorum partes divellunt, & comminuunt, quæ ideo minoris molis factæ, facilius per ſuos canales diffluunt. Præter hoc empyreuma ſalium volatilium oleoſorum auget ſolidorum elaſticitatem, ita ut per duplicem vim auſterum corrigatur. Ideo infuſiones cochleariæ, cæpæ, porri, alliariæ, rutæ, erucæ, raphani ruſticani, chelidonii majoris, lepidii, trifolii fibrini, ari, ſedi minoris vermicularis acris, factæ cum ſero aptiſſimæ ſunt. Sed regula, quam alias poſui, & Hofmannus prudenter inculcavit, etiam hic obſervanda eſt, deberi his acribus plantis leniores aliquas & fere ſubaceſcentes jungi, ut acetoſa, acetoſella, beccabunga, quibus ſumma illarum acritas mitigari poſſit, ne ſolida corporis teneriora lædat. Quam cautelam ipſi veteres Auctores adhibuerunt. Quin etiam nos monuit natura non aliter eſſe faciendum; ipſa enim fecit, ut in iisdem locis cochlearia ſimul cum acetoſa, aut beccabunga proveniret, ſicut in Groenlandia obſervatum eſt. Ejuſmodi autem infuſiones validiores exiſtunt, ſi addatur ſpiritus urinoſus ſalis ammoniaci, aut tinctura acris ſalis tartari, aut aliquis ſapo ex ſuperadictis, interpolando hæc remedia lenibus abſtergentibus, & inciſivis, prout variæ circumſtantiæ, variaque

que ſymptomata poſtulant. Sed utplurimum ſal volatile viperæ, aut ſuccini, aut cornu Cervi, aut oleoſum ſylvii additum convenienti decocto valde proficuum deprehenditur. Sed lac primum locum obtinet hæc inter remedia, maximeque aſininum, quia auſteritatem, quæ juncta eſt acrimoniæ, id vincere poteſt, cum ſit inter cætera genera tenujus, & præ aliis valeat ad diluendum. Lacti autem miſcere convenit aut decoctionem, aut ſuccum alicujus plantæ, aut plurium ex modo nominatis: hujuſque remedii uſus protrahendus eſt ad multum tempus. Diaphoretica, ſudorifera, Diuretica hic quoque ſuum habent locum: vinumque quod infra deſcribam, alterutrorum vice fungi poterit pro varia naturæ diſpoſitione.

℞. Radic. raphan. ruſtic.
Vermicul. min. acr.
Cochlear.
Trifol. aq. aa mj.
Vin. Rhenan. vel cipr. generoſ. ℔. vj.
m. f. inf. per hor. XXIV. capiat æger mane, & veſpere ℥. viij. poſt cibum.

De victu nihil addo, is eſſe debet ex carnibus, & iiſdem plantis conditus ſicut de ſimplici acido ſcorbuto præſcriptum eſt.

AC-

CAPUT QUINTUM.

De curatione Scorbuti rancido-oleoſi.

DE ſcorbuto rancido-oleoſo illud primum notabo: quoniam is corpora ſanguineo-cholerica, atque ſanguine plena aggredi ſolet, VVilliſium, & Boerahavium phlebotomiam commendare: quæ ſi in morbi principio, antequam ſanguis ſummam ranciditatem contraxerit, inſtituatur, valde proderit: dempta enim humorum quantitate, vaſa poterunt eosdem liberius promovere, exſolvere, atque triturare, hocque pacto ab iis vitiis, quæ a lentore, attrituque naſcentur, præſervare. Ideo medicus attentus in ipſo ſtatim morbi principio eſſe debet, ut in tempore hoc remedium adhibere poſſit: quia cum ranciditas a lentore ſanguinis ortum habeat, venæ ſectione fortaſſe lentor tolletur. In aliis morbi hujus ſpeciebus ne verbum quidem feci de venæ ſectione: utpote quæ rariſſime conveniat, & quatenus conveniat jam dictum ſit generaliter ſecundo capite hujus libri. Sed damna, quæ in aliis ſpeciebus venæ ſectio ſolet utplurimum inferre, in rancido-oleoſa minus timenda ſunt, cum ob rationes modo dictas, tum etiam ob alias minime contemnendas. Verum quidem eſt ſanguinis miſſionem illius præcedentem malam qualitatem non tollere, niſi in ratione reciproca eductæ quantitatis, ſed id parum intereſt. Potius illud conſiderandum eſt, ex hoc morbi gradu facile ad peſſimum alcalino-fœtentem perveniri poſſe. Nam rancidi humores, ut alias explicatum eſt, ita acres fiunt, ut minima vaſcula irritent,

ritent, & ſtringant, ex quo ſtaſes fiant, ex iiſque una cum reliquorum humorum attritu; & calore putrida corruptio. Nunc hæc epiphænomena optime præcaveri per paucas, & repetitas, ut res exigit, venæ ſectiones quotidiana experientia demonſtrat. Cætera remedia eſſe debent hæc: ex purgantibus ea fere, quæ in calidis temperamentis muriatico ſcorbuto laborantibus præcepta ſunt: maxime vero caſſiæ pulpa cum tartari cremore mixta, cremor ipſe, & tartari cryſtalli, tartarus vitriolatus, electuarium lenitivum, & hujuſmodi. Clariſſimus Addington aquæ marinæ corpus expurgari præcipit, dicitque ſalſo illius principio corruptelam humorum emendari, atque præcaveri. Plantæ autem antiſcorbuticæ, quæ huic ſpeciei conveniunt, ſunt acetoſa, acetoſella, beccabunga, cichoreum, endivia lactuca, naſturtium, aliæque hujus generis, varie adhibendæ, pro vario gradu morbi, & ægrotantis natura. Ex his decoctiones parari poſſunt aperientes, & digeſtivæ, vel ſuccus exprimi eadem intentione. Inter corrigentia vero hujus acrimoniæ nitrum in primis conſiderationem meretur, quod ſal eſt talis facultatis, ut alcaleſcentiæ potentiſſime reſiſtat, & ſulphuris exaltationem ſummopere reprimit, ejuſque violentos motus impedit, cum ſeſe inſinuans inter flexilia, & ramoſa ſulphuris filamenta, ea ponderoſiora reddit, & minus inflammabilia, iiſdemque irretitum ea ſecum ad urinæ vias trahit. Quare laude dignus mihi viſus eſt Juncherus, a quo Nitri ſumma virtus in ſcorbuto commendata medicis eſt. Nitro autem uti poſſumus ſimul cum largo potu aquæ vel acetoſæ, vel tramitum vitis, aut ſeri lactis diſtillati, aut etiam ſimul cum emulſione ad hunc modum.

℞. Semin. melon. mund. ℥j.
Aq. acetoſ. ℔j.
m. f. emulſ. S. A.
add.
Nitr. purif. vel criſtalliz. ℈ij.
Spiritus quoque ipſius nitri poteſt convenire
℞. Aq. acetoſ. vel tramit. vit. vel ſer. diſtil.
Spirit. nitr. Glauber. ʒſ.
m. capiat æger mane, & veſpere, vel ejuſmodi potu ordinario utatur, ſed parciori ſpiritus nitri doſi.

Neque minus proficua ſunt ſubacida ſaponacea, ex vegetabilibus confecta, quæ inter eminent, ſaccarum, & mel. Horum facultas eſt abſtergendi, incidendi, & blande, atque ſine æſtu, craſſos humores & ob vaſorum ſpaſmum lenteſcentes, attenuandi. Accedit illud quoque, quod vi ſaponacea ſulphura aliis principiis miſcibilia reddunt, ex quo evenit, ut humorum maſſæ deperditum mixtionis æquilibrium reſtituatur. Haud me fugit, ſaccarum in ſcorbuto a Boerhaavio damnari, de qua re, tanquam una ex ſcorbuti cauſis, pluribus eſt a nobis diſputatum in ſecundo libro. Porro negandum non eſt hoc loco, quod alio faſſi ſumus: ſed diſcrimen tamen faciendum. Nocet ſaccarum, ubi ſumma acrimonia, humorumque reſolutio eſt, maximeque in frigida acrimonia, ſed aliter eſt in ſcorbuto rancido, in quo craſſities, & oleoſitas cum quadam acritate vitium facit, & ubi reſolutio humorum accedit, proximus ad alcalinum gradus eſt. Præterea illud adhiberi poteſt acidis, aut ſubacidis vegetabilibus commixtum, qualis miſcella eſt in conſerva Ribeſiorum, aut ex acido citri: in ſyrupis ex ſucco acetoſæ, aurantio-

rum, & hujuſmodi, maxime ſi præparati ſint abſque igne. Mel autem cum ſucco, expreſſo ex tramitibus vitis, mixtum, validiſſimum eſt medicamentum in hoc caſu: in cujus vicem etiam aqua mulſa venire poteſt. Lactis uſus per ſe quidem non contraindicatur, poſſetque utilis eſſe: verum cum febres in hac ſpecie frequentes ſint, eæque fere vehementiores, vix tutus eſſe poteſt. Hujus defectum ſupplebimus aqua lactis diſtillata cum beccabunga, acetoſa, carne teſtudinis nemoralis, quæ aqua copioſe, & ad longum tempus bibenda eſt: eaque validior evadit, ſi cum ea emulſiones fiunt ex ſeminibus frigidis vocatis. Balnea non ſunt prætermittenda, quæ cum in aliis, tum in hac ſpecie maxime conveniunt, propter pertinaces ſpaſmos, qui in ea frequentiſſimi oriuntur. Ea paranda ſunt ex aqua dulci, cui aliquæ ex ſupradictis temperatioribus herbis incoctæ fuerint: iiſque utendum, niſi virium defectio, lypothymiæ, aut ſpirandi difficultates prohibeant. Diaphoretica, & ſudorifera, nec minus diuretica eadem propemodum videntur convenire, quæ in ſalino-muriatica diſcraſia expoſuimus, temperatiora tamen præferenda, in quorum cenſum ex diaphoreticis, venit ſtybium diaphoreticum, nitrum ſtybiatum, cornu cervi præparatum, & alia hujuſmodi cum copioſis calidis potionibus: ex diureticis ſal polycreſtum cum acidis, aut ſubacidis potionibus, & quod ſupra tantopere commendavi nitrum, hujuſque ſpiritus, Glauberiana methodo confectus, adhibito convenienti regimine.

Victus quoque idem opportunus eſt, quem præſcripſimus in muriatica ſpecie, niſi quod ſale marino hic uti licet ad cibos condiendos. Sed cum vis

ſapo-

ſaponacea in rancido ſcorbuto, eaque ex vegetabilibus deprompta ſummopere expetenda ſit, fructus horæi præſertim ſubacidi cibum optimum præſtabunt: itemque ſucci ex iiſdem expreſſi. His ſuccis non inutile erit quotidianam potionem aſpergi, quo magis humoribus corporis miſceri poſſit, quibus alioquin, propter illorum oleoſam naturam, difficulter ſociatur. Neque ſemper aqua bibenda, eſt: nam licebit interdum paucum vinum ſumere, ſed tenue, dilutum, & propemodum ſubacidum, in quem finem Rhenanum aqua temperatum utiliſſimum eſt. Apud nos illud vini genus non alienum erit, quod fieri ex uvis aliquantulum immaturis ſolet.

CAPUT VI.

De curatione ſcorbuti Alcalino fætentis.

Ultima ſcorbuti, eaque peſſima, ſpecies eſt alcalino-fœtens. In hac ſi leni aliquo cathartico opus eſt, videtur convenire, aut caſſia, aut manna, aut tamarindorum pulpa: tum etiam tartari cremor, aut criſtalli. Sed hæc ſalina medicamenta, nonniſi inter principia, adhibenda ſunt, ubi aliqua adhuc humorum craſſities exiſtit: in morbi proceſſu priora medicamenta aptiora ſunt, itemque electuarium lenitivum. Si aliquis major ſtimulus neceſſarius eſſe videatur, iis rhabarbarum addi poteſt minori doſi: vel corpus aqua marina expurgandum eſt, cum unum ex præcipuis catharticis putredini reſiſtentibus remedium præſtantiſſimum ex Addington habeatur: imo hic auctor idem præcipit quotidie ſumendum ea doſi, quæ infirmi ſtatui conveniat, &

prædicat tanquam remedium curativum, & præſervativum. Plantæ anti-ſcorbuticæ illæ in hac quoque ſpecie conveniunt, quas in rancida convenire dixi; ſed in primis acidæ, & ſubaceſcentes juvare ſolent, ut acetoſa, acetoſella. Sed in hac præcipue ſpecie curationem bifariam dividere oportet: vel enim cum incipiens eſt morbus, ei mederi volumus, in quo caſu craſſities aliqua eſt, & digeſtiva, incidentia, attenuantia quædam requiruntur: vel cum antiquus factus putridam humorum intulit reſolutionem. In primo caſu digeſtivorum, & incidentium invicem implere poſſunt decoctiones ex iis plantis paratæ, aut ſucci ex iiſdem expreſſi, & diluti ſero caprino, aut aſinino depurato: quibus ſive ſuccis, ſive decoctionibus ſuccum quoque limoniorum, aut granatorum acidorum, aut acerbarum uvarum addere præſtabit. Quin etiam ſeri ipſius aciduli ſola potio ſalubris inventa eſt. Ex fructibus quoque horæis ſuccum expreſſum, & cum illiuſmodi decoctionibus commixtum experientia commendavit, & conſervas ex acido ribeſiorum, vel ex acido citri. Hæc remedia facultatem poſſident diureticam, & ad hunc finem, ſi opus eſt, adhibere licet: in primiſque cum ſero lactis nitrum commixtum ad diureſim promovendam valet. Eædem vero decoctiones, & idem ſerum cum nitro, aut cum ſucco aliquo ex prædictis, ſi copioſe, calide bibantur cum regimine ad diaphoretica, & ſudorifera referri poſſunt. Cum hæc contra craſſitiem proſint, ſimul virtutem habent alcalinam acrimoniam corrigendi. Quod enim in aliis acrimoniis, in hac quoque obſervandum eſt, ſalina, & attenuantia dirigi contra prævalentem acrimoniam debere, quod in hac

ſpe-

ſpecie per acida, ſubacida, & nitrata præſtabimus. In altero caſu, cum ſcilicet putrida ſupervenerit humorum corruptela, atque adeo reſolutio, acida, & ſubacida non ſunt omittenda, quia nimirum virtutem habent contrariam alcalinæ acrimoniæ, ſed ea eſſe debent cum auſteris, & ſtypticis conjuncta, quorum remediorum excellens eſt efficacia. Sed antequam ad hæc præſcribenda medicus veniat, gelatinoſa atque farinacea adhibenda ſunt, ex quibus inſigne interdum levamen accipiunt ægrotantes. Ad hunc cenſum refertur gelatina aut ex ebore, aut ex cornu cervi, aut ex cinæ radice cum bolo Armeno, addita parva quantitate ſpiritus ſulphuris præparata: referuntur item emulſiones factæ cum frigidis ſeminibus. Neque lac conveniret, niſi tam faciles, frequenteſque acutæ febres eſſent in hac ſpecie. Hac igitur de cauſa, & quia in lacte multæ ſunt particulæ oleoſæ, ex quibus fere butyrum conſtat, & caſeus, quæ cum ſimul cum alcalinis humoribus miſceantur, facile in eorum naturam convertuntur: melius eſt ab eodem cavere. Si igitur gelatinoſa, & farinacea remedia juvamen non afferunt, opus eſt curam acido-auſteris abſolvere: ex quibus eligi poſſunt uvæ immaturæ, meſpila, mala cotonea, lapathium, & cupreſſi baccæ, quibus, ut in quadam ſua epiſtola tradidit Clariſs. Medicus Arcadius Capellus duæ Venetiis ſanatæ ſunt Virgines graviſſimo ſcorbuti genere laborantes. Ex iis fructibus ſuccus exprimi poteſt, ejuſque uncia cum dimidia addi decoctioni alicui ex aqua foliorum quercus, lapathii, portulacæ, & corticum tamariſci, ac fraxini. Hujus decoctionis circiter uncias ſex mane, & item veſpere ægrotus ſumere poterit u-

na cum ſcrupulo ſucci concreti acaciæ, aut boli Armeni. Profecto remedium contra alcalino-fœtentem dyſcraſiam melius reperire neſcio his auſteris, quia ipſa habent particulas hamatas, quæ coercent, atque conſtringunt moleculas fluidorum, oleorum corruptivam exaltationem impediunt, ſimulque propria auſteritate corruptioni reſiſtunt, ſolidiſque partibus tale robur afferunt, ut violentiæ, orgaſmo, & irritationi fluidorum frænandis pares ſint. Famigeratiſſimum autem remedium inter hæc China chinа cenſenda eſt, in qua ſummam virtutem corroborantem agnoſcimus, & craſim fluidorum reſtaurantem. Hinc legimus apud Valisnerium obſervationem, quæ talis remedii vim admirabilem omnibus patefecit: cum ejus ope æger ſanatus ſit, cui nihil juverant plura alia remedia. In ægro illo credendum eſt ſcorbutum eo perveniſſe, ut putridam atttulerit ſanguinis diſſolutionem, quia non ſolum ex cute ſanguineus manabat ſudor, ſed ſanguis ipſe ex gingivis, oculis, naribus, alvo, & urinariis viis effluebat. Adverſus tam dirum, & terribilem morbum plura, ut dixi, medicamenta incaſſum adhibita fuerunt: & tandem duæ chinæ chinæ, totidemque radicis tormentillæ unciæ, infuſæ in quatuor libras vini nigri meri auſterique, multiplices hæmorrhagias intra tres dies ſuſtulerunt. Cyathum unum ſexta quaque hora æger ſumebat, doſimque iterabat. Ex quo quilibet diſcere poteſt, quanta in auſteris inſit virtus ad ſanguinis moleculas arctius inter ſeſe uniendas, oleoſas partes effrænes coercendas, ſolidaſque partes roborandas. Vis Chinæ chinæ auſtera adeo excellens eſt adverſus alcalinam corruptionem, ut vel ipſam arceat gangrænam:

nam: duobus referentibus famigeratiſſimis Chirurgis Rusvvorthio, & Amyando. Sic legitur in tranſactionibus philoſophicis Anglicanis quemdam eo remedio ſanatum ex periculoſo ſphacelo in dorſo pedis juxta medios digitos. Quare non ſolum ad corrigendam acrimoniam, & diſſolutionem humorum emendandam, China china utiliter adhibebitur, ſed etiam ad gangrænam, & alia periculoſa epiphænomena evitanda. Interdum etiam neceſſe eſt, ſi auſtera vegetabilia non juvant, ad acida, & ſtyptica foſſilia confugere, inter quæ eminet ſpiritus vitrioli, quo validius remedium in corruptivis variolis Sydenhamius ſe non reperiſſe teſtatus eſt. Is ſpiritus ſumi poteſt ad drachmam unam quotidie, multa aqua acetoſæ dilutus, quin etiam ſi malum urget, doſis illius augeri poteſt. Hic addi poſſunt ea, quæ præcitatus Addington celebrat de mira ſpiritus ſalis facultate ad invertendam acrimoniam alcalino-fœtentem. Alumen rupeum quoque in ſubſtantia, ut ajunt, cum extractu tormentillæ mixtum, ſumi poteſt, quod egregium præſtabit remedium cum ad corrigendam alcalinam acrimoniam, humorumque fœtidam diſſolutionem, tum ad hæmorrhagias compeſcendas, ſupprimendaſque. Tuebitur etiam a peſtiferis gangrænis, quæ facile in hoc corruptionis ſtatu oriuntur, vitamque ægris adimunt.

℞. Alum. rup. ℥j.
Extract. torment.
Chin. Chin. pulv. aa ℥ſ.
Syrup. coral. rubr. q. ſ.
m. f. maſſ. pilul. cujus doſis a ℈j. ad ʒj. mane, & veſpere ſuperbibendo decoctionem aliquam ex auſteris præparatam.

Sed

Sed etiam ad Julapii formam idem alumen præparari poteſt, cujus præparationis formulam propoſuit Geoffrojus.

℞. Alum. rup. ʒj.
Aq. plantag.
Centinod. aa ℥iij.
Solu. & add.
Syrup. oxyacanth. ℥j.
f. Julap. ſumend. cochleat.

Cæterum in hac diſcraſia diluentia, copioſe epota, neceſſaria ſunt, ut non ſolum præpollentem acrimoniam eluere valeant, verum etiam ulteriorem humorum diſſolutionem impedire. Satisfacere in hac re poſſunt Nucerianæ aquæ, magiſque adhuc nitro-aluminoſæ, quas præcitatus Baccius deſcripſit, quæ principii nitro-aluminoſi ope non modo alcalinæ occurrunt acrimoniæ, ſed diſſolutos humores parum quodammodo cogunt, ſolidiſque roboris aliquid reſtituunt. Tum acidulæ vitriolico-martiales ad hoc opus conferunt, quæ, quod mirum videri poteſt, tam in ſolido laxo, quam in ſtricto, tamque in fluido craſſo, & viſcido, quam in tenui, & ſoluto conveniunt, quod innuit etiam Heiſterus his verbis (a) *ita in univerſum iis etiam ſint ſalutares, qui ob vitam Sedentariam multa in corpore, & præſertim in primis viis cruditates, ſive vitioſos humores, & flatus accumulant: omnibuſque illis, qui nimio vini, aliorumque ſpirituoſorum potuum abuſu ſanguinem nimis æſtuantem reddierunt, vel ob* aliam

(a) *Compend. Medicin.*

aliam cauſam de ſanguine nimis fervido conqueruntur: nam his egregium refrigerium præbent. Hanc veritatem experientia quotidie adſtruit. Ut autem cæteræ ſcorbuti ſpecies, multa phænomena ludunt circa viſcera naturalia: ſic fere multo plura, periculoſioraque fœtens-alcalina ludit: utpote quia viſcera illa multo oleo ab omento, aliiſque partibus perfunduntur, bilis ab hepate, fæces ab inteſtinis proximæ ſunt. Ob has cauſas in cadaveribus abdomen citius, quam reliquæ partes corrumpitur: in quo adeſt jam quoddam putredinis initium. Itaque in eo toti eſſe debemus, ut primæ viæ per medicamenta acido-tartarea repurgentur, putridaque colluvies educatur, ope ſcilicet cremoris tartari, aut ejuſdem cryſtalli: clyſteres ſimul ſunt adhibendi, parati ex hordeaceis decoctionibus cum melle ſimplici, aut roſato ſolutivo, & nitro. Hæc cautela ſemper ante oculos habenda eſt, ſed tum maxime, cum auſtera, & ſtyptica medicamenta adhibentur, quæ ventrem ſupprimunt, qui ideo per hæc, quæ dixi, movendus, laxanduſque eſt, ne retentæ fæces putridam acrimoniam adaugeant, viſcerumque promoveant corruptionem. Atque animadvertendum eſt diligenter, ne in uſu auſterorum hæc incommoda nimis gravia eveniant, quæ evitari poſſunt eorum uſum intermittendo, idemtidem & rurſus renovando, non omiſſis, quæ præcepi de purgantibus, & clyſteribus. Auſterorum vim ſupplere poterit remedium tutiſſimum a viro doctrina, & eruditione inſigni, Doctore Ceſler, mihi communicatum, quod eſt, ſcorbuticorum corpora humare: terræ enim frigore, ipſiuſque acido ſale perſpirante, ſolidorum robur adaugetur, humorumque corruptiva diſſolutio cohibe-

tur. Quam ad rem balnea frigida ex aqua marina plurimum etiam facere videntur. In victu autem fugienda ſunt pinguia, oleoſa, carnoſa, & aromatica, neque iis umquam utendum, quæ promptе ad alcalinam tranſeunt naturam: aut jam talem habent. Fructus itaque horæi maxime aceſcentes, & herbæ ejuſdem naturæ, ſemina cerealia optimum cibum dabunt: ſi aliquid ex carnibus ſumendum eſt, hæ ſint teneræ, & ſi tempus fert, ex animalibus, quæ viridi pabulo veſcuntur. Piſces, aveſque nocere ſolent, quia alcaleſcentiam præſeferunt. Potio aquæ puræ ſalubris erit: interdum etiam vini auſteriuſculi, aut etiam prorſus auſteri: ſed moderate ſumpti: niſi aliquid ſit, quod vinum prohibeat.

CAPUT VII.

De curatione gingivarum, & dentium affectionibus.

PRopoſita cujuſque ſpeciei ſcorbuti curatione, reſtat ut proponam medelam propriam quorumdam ſymptomatum: quæ licet univerſali cura tolli poſſint, quoniam tamen hæc lente ſolet procedere, ipſa interea nimium ſæva ſunt, peculiarem conſiderationem merentur. Inter hæc ex præcipuis eſt gingivarum, & dentium affectio. At cum nonnulla exſtent remedia præſtantiſſima a manuſcripto Aelii Promoti Auctoris longe antiquiſſimi eruta, mihique a doctiſſimo viro Antonio Bongiovanni communicata, liceat eadem ad publicum bonum in medium afferre.

JOAN-

JOANNI A BONA.

ANTONIUS BONGIOVANNI

„ UT accepi te de genere quodam morbi ſcri-
„ bere, qui cum in aliis exteris regionibus,
„ tum in Italia noſtra maxime graſſaretur, quod
„ ſcorbutum vulgo dicitur; ſtatim mecum ipſe cogi-
„ tare cœpi, numquid in hac re tibi prodeſſe poſ-
„ ſem. At cum paulo attentius rem conſideraſſem,
„ ridere mecum ipſe: dicere intra me: Ego ne rei
„ medicæ quidquam conferam? quis homo? cui vi-
„ ro? ſcilicet ego, qui diu in hac arte verſatus
„ ſum, qui dies noctesque in ea triviſſem (quam
„ ne primis quidem labris, ut dicitur, guſtavi, to-
„ tamque meam vitam in eccleſiaſtici ſtudiis con-
„ ſumpſi) viro iſtarum rerum, ut fama percrebuit,
„ longe peritiſſimo, plurimum prodeſſe potero.
„ Apage ſis. Illud potius memento: *Ne ſutor ultra*
„ *crepidam*. Hæc mecum ipſe recogitans, amice ju-
„ cundiſſime, animum deſpondiſſem, ni me firmum
„ in ea ſpe, noſtra vetus retinuiſſet neceſſitudo.
„ Memini enim adhuc, cum a teneris annis in Per-
„ rariolo, agri Veronenſis, ubi ambo ſati atque crea-
„ ti ſumus, una jucundiſſime verſaremur. Memini
„ cum jocari ſimul, cum ludere, certare curſu, ve-
„ nari, piſcari, aliaque, ut puerorum mos eſt,
„ facere ſolebamus. Memini cum relictis ludis, ad
„ graviora ſtudia Patavium contendimus. Hic ver-
„ ſari ſimul, in eadem domo, ad eandem menſam:
„ communia habere omnia. Tu poſtea Veronam,
„ ego Venetias conceſſimus. Nulla tamen neque

„ temporis diuturnitas, neque locorum diſtantia ef-
„ ficere potuit, ut tam arctum amicitiæ vinculum
„ ſolveretur. Memini ..... ſed hæc quid ad rem?
„ Hæc itaque noſtra vetus neceſſitudo paulo me fe-
„ cit audaciorem, ut aliquid meas ſupra vires mo-
„ lirer. Quodnam hoc? Ut ego ſcilicet, rei medi-
„ cæ prorſus ignarus, ad ipſam rem medicam ta-
„ men aliquid conferrem. At quomodo? Reperi
„ tandem modum. Mihi nempe venit in mentem
„ exſtare in veteri codice 295. Venetæ D. Marci
„ Bibliothecæ quoddam opus manuſcriptum Aelii
„ Promoti, ſcriptoris longe antiquiſſimi, quod ut
„ ſum recordatus, publicam ſtatim Bibliothecam
„ adire: conquirere codicem: legere: exſcribere,
„ & Latine reddere, quæ ad rem facere viderentur.
„ Hæc itaque, qualia demum cumque ſint, ad te
„ mitto, quibus utaris per me licet ad arbitrium.
„ Antiquiſſimus quidem eſt Aelius Promotus, ſi
„ (1) Poſſevinum audis, non tamen Oſthanis illius
„ Magi diſcipulus, qui Xerxi Græciam petenti co-
„ mes fuit, cujus meminit (2) Plinius, ſed poſt
„ Pompeii Magni tempora eum vixiſſe vir in primis
„ eruditus autumat. Exſtat quidem in Bibliotheca
„ Vaticana Aelii Promoti liber περὶ ἰοβόλων καὶ
„ δηλητηρίων φαρμάκων, ex quo libro nonnulla pro-
„ fert (3) Hieronymus Mercurialis. Verum hæc
„ non Aelii Promoti, ſed Aeſchrionis Empirici,
„ quem laudibus effert Galenus, eſſe conjicit idem
Poſ-

---

(1) *Biblioth. Selečt.* XIV. 17.
(2) *Lib.* xxx. *cap.* I.
(3) *Var. Lečt.* III. 4.

„ Poſſevinus. Aliter Poſſevini locum accipere vi-
„ detur (4) Fabricius. Utitur Promotus ſignis qui-
„ buſdam ad eorum, quæ quodque medicamentum
„ componunt, quantitatem innuendam, ut alia no-
„ ta unciam, alia drachmam, alia aliud ſignificet.
„ Has notas, quæ alias difficillimæ captu eſſent,
„ aperit Aglaias Byzantinus, medicus & ipſe lon-
„ ge antiquiſſimus, qui verſibus heroicis ſcripſit, o-
„ puſculo manuſcripto Græcæ D. Marci Bibliothecæ
„ Cod. 480. quo opuſculo, tamquam clave, uſus
„ ſum ad earum vim aſſequendam. Hæc hactenus.
„ Venio nunc ad medicamenta; ſed accipe primum
„ prologum.

Hoc eſt quidem pretioſiſſimum munus, quod mihi non tantum, ſed toti Reipublicæ medicæ iſte famigeratiſſimus Amicus impertitur: ac utinam ipſe totum hunc ſcriptorem ex Lingua Græca in Latinam verteret, quod generi humano quamplurimum prodeſſet. Prologus enim hujuſce Auctoris quanta ſit ejus doctrinæ firmitas oſtendit, meque ita oblectavit, ut eum in lucem edere coactus ſim.

AE-

(4) *Bibl. Græc. T. XII. pag. 780.*

ΑΕΛΙΟΥ ΠΡΟΜΩΤΟΥ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ

ΔΥΝΑΜΕΡΟΝ.

Ἐπειδὴ πολλοῖς ἐγγεγυμνασμένος ἔτεσι κατὰ τὴν ἰατρικὴν, καὶ τριβὴν οὐ μετρίαν ἐν τοῖς ἔργοις αὐτῆς πεποιημένος, πολυχρονίῳ καὶ βεβαιοτάτῃ πείρᾳ τὴν τῶν βοηθημάτων ἐπιστωσάμενος δύναμιν, ἐσπούδασα ταύτην ἅμα μὲν ὑμῖν παραδοῦναι φίλτατοι παῖδες. μὴ γὰρ οὐ θεμιτὸν εἴη τῶν καλῶν τινος ἀμετόχους τοὺς παῖδας καταλιπεῖν. εἰ γὰρ χρημάτων καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα σμικρά τε καὶ οὐδενὸς ἄξια λόγου, σπουδάζουσιν ἄνθρωποι κληρονόμους ἔχειν τοὺς ἐξ ἑαυτῶν πεφυκότας, πολλῷ μᾶλλον ἔδει τὴν ἀπὸ τῶν λόγων τε καὶ τῶν ἀξιολογωτάτων εἰς αὐτοὺς φυλάττεσθαι διαδοχήν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κινδυνεύουσαν ἤδη μου τὴν τοιαύτην ἀπολισθαίνειν γνῶσιν, καὶ τῷ πάντα φθείροντι χρόνῳ διαρρέουσαν ὁρῶν, ἠξίωσα γραφαῖς ἀθανάτοις ἀσφαλίσασθαι, ὅπως ἂν ἔχοιεν οἱ μεθ᾽ ἡμᾶς ἐντεῦθεν ἀναλέγεσθαι ῥᾳδίως, ἃ μετὰ πλείστου συντεθείκαμεν ἡμεῖς πόνου, καὶ μὴ τὸν πολὺν εἰσδαπανῶντες τοῦ βίου χρόνον, εἰς τὴν τῶν πολυσυνθέτων φαρμάκων δοκιμασίαν ἀσχολοῖντο, τῆς τῶν ἀνθρώπων ὠφελείας, ἐξὸν ἐντεῦθεν ἑτοιμότατά τε καὶ πιστότατα τῆς ἐνεργούσης εὐπορεῖν ὕλης. προσήκει μέντοι ταῖς τεχνικαῖς τε καὶ διαγνωστικαῖς τῶν παθῶν μεθόδοις παρεσκευασμένον, οὕτως ἐπὶ τὴν τῶν ἐνταῦθα γεγραμμένων ἰέναι χρῆσιν. οὐ γὰρ ἂν ἄλλος τις οἷός γε ἦν καταμαθεῖν ὡς οὐδεμία τῶν ἐν αὐτοῖς ὑποσχέσεων ἔχει τι διεψευσμένον, ἢ τῷ κατὰ λόγον ἑκάστῳ κεχρῆσθαι βοηθήματι. εἰ δέ τι τῶν νοσημάτων κακοηθεύοιτο, μήτε δια-

γνώ-

AELII PROMOTI ALEXANDRINI DYNAMERON

PROLOGUS.

» QUoniam complures annos me in re medica
» exercui; quoniamque non mediocriter in
» ejus operibus verſatus, diuturna firmiſſimaque ex-
» perientia perſpectam habui medicamentorum vim:
» hanc vobis tradere ſtudui, filii cariſſimi. Nefas
» enim eſt, filios relinquere nullius boni participes.
» Si enim ſuarum quiſque facultatum, earumque re-
» rum, quæ parvi, quæque nihili ſint, hæredes
» habere ſtudet quos procrearit: danda multo ma-
» gis opera eſt, ut hæreditas eis adſervetur litera-
» rum, earumque rerum, quæ maximo in pretio
» habeantur. Verum cum haſce mihi cognitiones
» dilabi animadverterem, atque tempore, rerum
» omnium conſumptore, diffluere: propterea ſcrip-
» tis eas ſempiternis tradere ſtudui, ut poſteri inde
» noſtri depromere facile poſſent, quæ ſummo cum
» labore compoſuiſſemus, neque multum temporis
» conſumerent, laborarentque diu compoſitis expe-
» riundis medicamentis, hominum curandorum
» gratia, cum ex libris iſtis abunde ſuppeteret ma-
» teria, qua medicinam tuto facerent. Inſtructus
» autem eſſe debet accuratioribus morborum digno-
ſcen-

γνώσει, μήτε τῇ διὰ τῆς ὕλης εἴκων θεραπείᾳ· δεύτερον προσέταξα πλεῦν, τὴν τῶν φυσικῶν ἐνεργούντως, καὶ ἀφράστῳ τινὶ αἰτίᾳ τε καὶ δυνάμει δρώντων συναγωγὴν, περιεργότερον μὲν ἢ κατὰ τὴν καθ' ἡμᾶς ἰατρικήν. οὐδὲν δὲ ὅμως τῶν ὠφελεῖν ἐγνωσμένων παροράτεον.

Ex hoc prologo ſatis evincitur quanta ſit remediorum, quæ ſolertiſſimus Auctor proponit, efficacia; atque eadem deducetur magis ex iis, quæ ſequuntur.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϖ′.

Πρὸς δυσωδίαν στόματος.

Πρὸς δυσῶδες στόμα καὶ ἀραίωσιν ὀδόντων· στυπτηρίας μέρη δύο, μαράθρου μέρος ἐν οἴνῳ εὐώδει προσμίξας, ποίει ἀποκλύζεσθαι συνεχῶς.

Πρὸς τὸ στόμα μὴ ὄζειν· βάτου κλωνία ἀποβρέξας εἰς οἶνον παλαιὸν, τρῶγε τὰ κλωνία νῆστης.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ριζ′.

Πρὸς πόνους οὔλων. ἴρεως Ἰλλυρικῆς οὐγκί· α′. στυπτηρίας σχιστ. οὐγκ. β′. μέλιτος τὸ ἀρκοῦν μίσγε τρίβων τὰ οὖλα, εἶτα ἐλαίῳ θερμῷ διακλυζέσθω.

Πρὸς οὖλα βεβρωμένα, καὶ σηπεδόνας. χάρτου κεκαυμένου ἀνὰ δραχ. β′. λεπίδος χυπρείας δραχ. δ′. κικίδος ὀμφακίτιδος δραχ. ι′. λειώσας χρῶ.

Πρὸς ἡλκωμένα οὖλα. ῥόδων ἄνθους, στυπτηρίας σχιστ. κικίδος ἀνὰ δραχ. α′. ἀναλάμβανε μέλιτι καὶ χρῶ καλλίστῳ.

Πρὸς

„ ſcendorum methodis quiſquis ad eorum uſum acce-
„ dere velit, quæ hic præſcribantur. Nec enim quiſ-
„ quam alius intelligere poteſt, nihil in iis falſi con-
„ tineri, neque ſingulis iſtis recte uti medicamentis.
„ Si qui vero morbus pertinacior factus, nec arti ce-
„ dat, neque medicamentis, aliam præcepi navigatio-
„ nem ſuſcipiendam, earum ſcilicet rerum collectio-
„ nem, quæ naturaliter operentur, & ineffabili vi pol-
„ leant. Opus quidem majus, quam noſtri tempo-
„ ris medicina patiatur; attamen nihil eorum præ-
„ termittendum eſt, quæ hominibus prodeſſe com-
„ pertum habeamus.

CAPUT LXXX.

Pro oris fœtore.

„ Pro oris fœtore, & dentium laxitate. Alumi-
„ nis partes duas, marathri partem unam miſce in
„ vino odorifero.

„ Ne os male oleat. Fac aſpergas vino veteri rubi
„ ramuſculos, eoſque comedas jejunus.

CAPUT CXVII.

„ Pro dolore gingivarum. Iris Illyricæ unc. j.
„ aluminis ſciſſilis unc. 2. mellis quantum ſatis eſſe
„ poſſit, miſce, frica, calido dein oleo dilue.

„ Pro gingivis exeſis, atque putredinibus. Char-
„ tæ combuſtæ drach. circiter 2. lepidii Cyprii drach.
„ 4. gallæ omph. drach. 10. comminuens, utere.

„ Pro gingivis ulceroſis. Recipe floris roſarum,
„ aluminis ſciſſilis, gallæ drach. circiter 1. & utere
melle optimo.

Πρὸς βεβρωμένα οὖλα, καὶ ῥευματιζόμενα συνεχῶς, καὶ πρὸς σειομένους ὀδόντας. χαλκίτεως ὠμῆς δραχ. ιβ'. καδμείας δραχ. η'. λείου ὄξει δριμυτάτῳ ἐν ἡλίῳ ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν ἄχρις ἂν ξηρὸν γένηται, καὶ χρῶ.

Πρὸς οὖλα αἱμάσσοντα· γλήχωνος, σμύρνης, ἅλατος πεφρυγμένου, ἴρεως Ἰλλυρικῆς ἴσα μίξας, χρῶ.

Πρὸς οὖλα ῥευματιζόμενα, καὶ αἱμάσσοντα· ὠμὸν ταρίχου καύσας ἐν καινῇ χύτρᾳ, μέχρις οὗ σποδιὰ γένηται, ταύτῃ τῇ σποδῷ παράπτου.

Πρὸς πᾶσαν νομὴν οὔλων, καὶ πρὸς σειομένους ὀδόντας. χαλκίτεως δραχ. ιβ'. καδμείας δραχ. η'. τὴν χαλκῖτιν θεὶς ἐπ' ἀνθράκων, ῥίπιζε. καὶ ὅταν λακτίσῃ, καὶ ἄρξηται ἐρυθραίνεσθαι, μετὰ τοῦ προΐεσθαι μελιτῶδές τι ὑγρὸν, ἀνελόμενος, μίξον τῇ καδμείᾳ προλειωμένῃ, καὶ προσδοὺς ὄξους τὸ αὔταρκες, μίξας χρῶ· ἐπὶ δὲ τῆς χρείας δίδου ὄξει διακλύζεσθαι.

Πρὸς παρουλίδας. ἅλας μέλιτι λειώσας, συνεχῶς παράτριβε, καὶ ἀποσιάλιζε.

Πρὸς σηπεδόνας τὰς ἐν στόματι, καὶ ἐσχαρίας, καὶ πλαδαρὰ οὖλα:– Κύπερου δραχ. δ'. σανδαράχης δραχ. η'. στυπτηρίας σχισ. σμύρνης δραχ. α'. κρόκου (a) α'. λειώσας, χρῶ παραπτόμενος.

(a) γρ. δραχ.

Πρὸς ὀδονταλγίας (b) προφύλακτι, καὶ ὀδόντων. (c) Τιθυμάλλου ῥίζας ἐν οἴνῳ ἑψήσας, μέχρι ἥμισυ γένηται, διακλύζου δεύτερον τοῦ μηνὸς, καὶ οὐδέποτε πονήσεις ὀδόντας.

(b) ἴσ. πρὸς φυλακήν.

(c) γρ. Τιθυμάλου.

Πρὸς ὀδόντων ἀλγηδόνας, καὶ ὀζοστόμους, καὶ οὖλα ῥευ-

Πρὸς

„ Pro gingivis exeſis, frequentibus obnoxiis flu-
„ xionibus, atque dentibus vacillantibus. Chalciti-
„ dis crudæ drach. circiter 12. cadmiæ drach. 8.
„ fac attenues aceto acerrimo, exponaſque ſoli,
„ cum in Canicula verſatur, quoad areſcat, quo de-
inde utaris.

„ Pro gingivis ſanguinolentis. Pulegii, myrrhæ,
„ ſalis torrefacti, iris Illyricæ æquas portiones mi-
„ ſcens, utere.

„ Pro gingivis, fluxionibus obnoxiis, atque ſan-
„ guinolentis. Piſcis ſale conditi cervicem combu-
„ rens in olla nova, quoad pulvis fiat, hac pulvere
„ confricato.

„ Pro omnibus gingivarum ulceribus depaſcentibus,
„ atque dentibus vacillantibus. Chalcitidis drach. 12.
„ cadmiæ drach. 8. Chalcitim ſupra carbones ponens,
„ ſuffla. Cum crepitare incipit, atque rubea facta,
„ melleum quendam emittit humorem; capiens, mi-
„ ſce cum cadmia, quæ prius attenuata fuerit: ad-
„ jicienſque aceti quantum ſatis eſſe poſſit, miſce,
„ atque utere. Interea vero dum uteris, fac diluas
„ aceto.

„ Pro Parulide. Sales melle comminuens, frica ſæ-
„ pius, & exſpue.

„ Pro putredinibus, quæ in ore fiant, & ulceribus,
„ laxiſque gingivis. Cyperi drach. 4. ſandarachæ
„ drach. 8. aluminis ſciſſilis, myrrhæ drach. 1. cro-
„ ci drach. 1. comminuens, utere perfricans.

„ Pro dolore dentium, eorumque ſanitate tuenda.
„ Tithymali radices in vino coque, donec ad di-
„ midium redigantur. Bis dein in menſe diluas, nec
„ amplius ex dentibus laborabis.

„ Pro doloribus dentium, oris fœtore, gingiva-

ματιζόμενα. Ἀρκευθίδων, μελανθίου, ἑλενίου, καδιώνυος, κυάμου ἀνὰ οὐγκ. ϛ'. σύκων ξηρῶν οὐγκ. γ'. ἕψε ὀξυμέλιτι, καὶ χρῶ.

Πρὸς ὀδόντων πόνον. Ἅλας φρύξας μετὰ ἀφρονίτρου, καὶ λειώσας, πάσσον τοὺς ὀδόντας, καὶ τὰ οὖλα. καὶ ὅταν ἀπορρύσῃ τὸ σίαλον, ὄξος λάμβανε δριμὺ, καὶ κατάχεε ὀλίγον, καὶ ἄπονος ἔσῃ.

(a) γρ. πρὸς τὸ ὀδόντας. (a) Ὀδόντας σαλευομένους πῆξαι· ὄξει δριμυτάτῳ σβέννυε σίδηρον πεπυρωμένον, σφόδρα βαλὼν, καὶ συπτηρίας λίαν κλύζου.

(b) γρ. ἐλάφου, ἢ ἐλάφειον. Πρὸς ῥευματισμὸν ὀδόντων. Κέρας (b) ἐλαφείου λεπτοκοπήσας, ἕψε ἐπὶ πολὺ οἴνῳ παλαιῷ, ἢ ὄξει, καὶ δὸς διακλύζεσθαι.

Πρὸς βρῶμα ὀδόντων. Λαβὼν σῶρυ, λειοτρίβησον, καὶ μίξον μέλιτι, καὶ ποιήσας κολλύριον, ἐπιτίθει εἰς τὸ βρῶμα.

Πρὸς ὀδόντας περιβεβρωμένους καὶ σειομένους, καὶ οὖλα: Παύει κικίδος ὀμφακίτιδος δραχ. γ'. συπτηρίας σχισ. δραχ. η'. σμύρνης ὀβολ. γ'. κρόκου ὀβολ. γ'. ἀφρονίτρου δραχ. α'. μέλιτι ἀναλάμβανε, καὶ χρῶ.

---

(1) Codex habet κεεμίσυος. alibi ſic: κεκαυμένου.

„ rumque fluxionibus. Juniperi baccarum, papave-
„ ris nigri, helenii, καδιώνυος, fabæ unc. circiter 6.
„ ficuum ſiccarum unc. 3. coque cum acetoſo mul-
„ ſo, eiſque utaris.

„ Pro dolore dentium. Frige ſales cum aphronitro,
„ quibus poſtea comminutis fac dentes conſpergas,
„ atque gingivas. Ubi deficit ſaliva, ſume acetum
„ acre, idque modicum, eoque male affectas par-
„ tes perfunde. Tum dolor omnis evaneſcet.

„ Ad vacillantes dentes firmandos. Fac extinguas
„ aceto acerrimo ferrum candens, acetum ipſum
„ vehementer injiciendo, atque alumina valde di-
„ luas.

„ Pro fluxionibus dentium. Cornu cervi commi-
„ nuens, elixa diu vino veteri, vel aceto; idque
„ præbe, quo dentes abſtergantur.

„ Pro dentibus exeſis. Cape ſory, idque commi-
„ nuens, miſce cum melle, facienſque collyrium,
„ impone dentibus, ubi exeſi appareant.

„ Pro dentibus circum exeſis, vacillantibus, atque
„ gingivis. Morbum abigunt gallæ omph. drach. 3.
„ aluminis ſciſſilis drach. 8. myrrhæ obol. 3. croci
„ obol. 3. aphronitri drach. 1. ſume cum melle, eiſ-
„ que utaris.

„ Hæc ſunt Aelii Promoti medicamenta, quæ ad
„ rem facere mihi videntur, quorum ſimilia habet
„ (1) Aetius, a Promoto, ut ab aliis alia, facile mu-
„ tuatus. Fruere his, amice jucundiſſime, ac vale.

Si

---

(1) *Græcæ editionis Lib.* VIII. *cap.* 25. *& ſeqq. Latinæ, Te-trabibli* II. *ſermone* IV. *cap.* XXI. *& ſeqq. & cap.* XXXIII.

Si quis attente ad ſymptomata, & remedia animum adverterit, aperte colliget, ſcorbutum aliquem, ſaltem alcalinum, quamvis ſub alio nomine, antiquis etiam ſcriptoribus notum fuiſſe: a noſtro enim auctore ſcorbuti ſymptomata pathognomonica, ita exacte deſcribuntur, ut nihil melius a ſeptentrionalibus medicis exponi poſſint: remedia vero alcalino ſcorbuto ita ſunt accommodata, ut nihil opportunius excogitare valeamus. Quoniam vero hæc uni tantum ſcorbuti ſpeciei, alcalinæ ſcilicet, occurrunt, & noſtrum juxta inſtitutum ſit omnibus mederi, cætera perſequamur. Itaque ſi dolor oritur a dentis carie, oportet dentem evellere, & hoc unicum fere eſt remedium. Exſtant quidem multa anodyna, atque ſedativa, opium ſcilicet in dentis foramen intruſum, oleum ſtillatum, aut buxi, aut caryophillorum, aut ligni guaiaci, ſpiritus vini rectificatus, camphora: ſed hæc tantum dolorem ſopiunt, qui deinde ſæpe recrudeſcit. Unum non omittam, ſæpenumero a me cum levamine præſcriptum, quod ſic ſe habet.

℞. Radic. Chelid. mai. inciſ. ℥. i.
Aq. font. ℔. iß.
m. f. decoct. ad conſumpt. mediet. colat. calid. dens corruptus ſæpe foveatur.

Hoc medicamento dolorem ſedari, dentem firmari, neque ulterius cariem procedere obſervavi. At ſi dolor ab acrimonia ſcorbutica irritante naſcitur, ſpecialis medela ab univerſalibus anti-ſcorbuticis petenda eſt. Vacillatio autem dentium talis interdum fit in ſcorbuticis, ut periculum ſit, ne omnes decidant, reveraque aut omnes, aut magna ex parte aliquando deciderint. Id cum propter gingivarum laxita-

tem

tem eveniat, remedia ad illas roborandas ſunt dirigenda. In ſcorbuto igitur calido ad collutoria oris ex acidis, ſaponaceis, atque auſteris vegetabilibus, non excluſis foſſilibus, parata confugiemus. Quo ſpectat limonum ſuccus, mixtus, cum æquali parte mellis roſati, addita pauca quantitate ſpiritus ſalis dulcis, & aqua diſtillata ex ruta. Plures poſſem proferre obſervationes eorum, qui hoc ſolo medicamento gingivarum calorem, pruriginem, laxitatem ſuſtulerunt, dentibuſque firmitudinem conciliarunt. Sed mirabilis prorſus efficaciæ contra dentium, gingivarum, & oris totius dolores, eſt id, quod ſequitur.

℞. Succ. e tramit. vit. expreſ.
Limon.
granat.
aurant. aa ℥. i.
Acet. optim. ℥. ß.
Mell. optim. ℥. ij.
m. f. garg. ſæpius adhib.

Etiam ſolus prædictorum tramitum ſuccus, in ore retentus, mirum in modum gingivarum pruritum demulcet, & laxitati medetur, earumque, & dentium dolorem tollit. Hæc remedia penetrando in bibulas venas gingivarum humores lenteſcentes, & acres reſolvunt, ac temperant, ſimulque blanda vellicatione fibrarum elaſticitatem inſtaurant: in quem finem ſucci auſteri ex cotoneo, lapatho, fructibuſque immaturis, melle contemperati, juvant, &, ſi corroborandi conſilium præcipuum eſt, iiſdem foſſilia jungantur, & inter ea alumen, & vitriolum ſeligantur. Ideo collutoriis aliquod aluminoſum adjicere ſoleo, vel uti gargariſmate a Geoffrojo jam memora-

morato, utpote remedio validiſſimo non tantum ad æſtum, pruritum, laxitatem tollendam, ſed etiam ad ſedandos, incantamenti inſtar, acerbiſſimos dolores oris: ſequens etiam medicamentum laude dignum.

℞. Sumit. cupres.
Rub.
Fol. ſanic.
Cardam. aa ℈j.
Aq. Ferrar. ℔. ij.
m. coq. ad conſumpt. 3tiæ partis
add. in fin.
Alum. rup. ʒij.
Colat. miſc. mell. optim. ℥. ij.
& fov. gingiv.

Vitriolum item camphoratum ad ℥i. ſolutum in libris duabus aquæ fontanæ, & liquore in quiete relicto ad ſubſidentiam non minorem habet efficaciam: neque timendum eſt, ne dentes lædat vitriolum, quia camphora hoc impedit, illius vim mitigando. Deinde cum gingivæ debiliſſimæ ſunt, & gangræna imminet, tum validum remedium non eſt reformidandum. Juvat præterea tinctura terræ catechu, ope rectificati ſpiritus vini facta, vel tinctura Latæ a minſith, aut hæc

℞. Lapid. medicam. Croll. ʒ. j.
Aq. ſedi minor. aut cochl. q. ſ. ad bland. ſolut.
Poſt. bulli. filtr. infund.
Lacc.
myrr.
Alum. uſt. aa ʒj.
m. ſtent. in digeſt. S. A. & extr. tinct.

His

His omnibus adhibitis, interdum tamen nihil proficitur, unde ad fortiora tranſeundum eſt.

℞. Fol. Aquileg.
Naſt. aquat.
Cortic. med. ſamb.
prun. ſylveſt.
Torment. & Biſtort. tot. aa mj.
Aq. calcis ℔iij.

contundantur contundenda, incidantur incidenda, miſce, & ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis, addendo in fine

Alum. crud. ʒj.
Colat. edulcur. mell. roſat. ℥iij.

Practicis in uſu eſt cruentas, vel fungoſas gingivas ferro ſcarificare, aut confricatione acris, vel aſperi medicamenti earum vaſcula diſrumpere, ut ſcilicet ſanguis exeat jam corruptus, neque emendabilis.

℞. Sal. commun. torreſ.
C. C. uſt.
Ciner. Sarment. urt. aa ʒj.
Teſt. oſtreor. uſt. ℈ij.
m. f. pulv. quo ging. confric.

Hoc remedii genus tunc mihi adhibendum videtur, cum ſtagnans cruor in minutiſſimis vaſculis ſuimet ipſius, gingivarumque corruptionem minatur, cum gangræna, dentium carie, atque caſu. Sed non niſi ſumma cum prudentia ad id deveniendum eſt, quia fere difficilius ſcorbuticorum ulcera ſanantur, ut in ipſis contingit exulceratis gingivis: quo in caſu abſtergendæ, & ab ulteriori corruptione tuendæ ſunt, & cicatrice obducendæ. Ob id oxymel ſcilliticum cum æquali aceti, atque aquæ naſturtii aquatici portione commixtum, convenit ad os colluen-

luendum, aut hoc gargariſma a Geffrojo commendatum.

℞. Camph. ℥i.
Alum. rup. ℥ij.
Saccar. canth. ℥iiii.
Aq. vit. ℔ij.

m. ſtent in inf. per biduum, filtr. & pars affecta eo foveatur.

Admirabilem autem contra gangrænas oris ſcorbuticas facultatem quam ſpiritus habet marini ſalis, ſilentio minime præteribo, quo ſolo remedio, nullo alio addito, Svvietenius graviores gangrænas ſanari docuit. Sumit autem ejus ſpiritus xx. guttas, cum uncia dimidia mellis roſati, pro varia tabi gangręnoſi vi, augendo, vel minuendo ſpiritus quantitatem. Si id forte non juvat, adhibenda eſt aqua aluminoſa Fallopii, vel viridis Plateri; quin etiam ipſa aqua fortis. Interdum poſt gangrænam remanent ulcera ſordida, & profunda a Chirurgo curanda, ſed tamen interna remedia medicus omittere non debet. Per hæc vitia fit, ut, corruptis, aut exeſis gingivis, iiſque ex parte conſumptis, dentes nudi remaneant, etiam ea parte, qua naturaliter teguntur: tuncque gingivarum reparatio ſarcoticis tentabitur. Inter quæ Salamon Albertus pulverem laudat factum ex ſemi. roſar. ʒj. calam. aromt. ʒß., quo gingivas reſpergi jubet. Vel

℞. Farin. Eru.
Pulv. Flor. roſ. aa ʒß.
Calam. aromat. ʒii.
Alum. Sciſſil.
Mann. Tur.
Cyper. aa ℈ß.

m. f.

m. f. pulv. ut ſuperior adhibendus, vel melle roſ. excipiendus.

Hæc ſunt medicamenta affectionum oris in calido ſcorbuto: at in frigido convenit vel cochleariam mandere, vel ejus ſucco gingivas fovere. Vel

℞. Spiritus Theriac.
Cochlar. aa ℥i.
mell. anthoſ. ℥ii.
m. fove gingiv. vel
℞. Spir. cochlear. per ferment. ℔i.
Gumm. Lacc. ℥j.
Magiſt. Lign. ſanct. ℥ß.
Alum. rup. ʒij.
m. diger per IV. dies calid. in aren. ut fiat S. A. Tinct. & filtr.

Hac tinctura imbutum goſſypium ſuperimponatur gingivis, aut hæ eodem irrorentur, quæ etiam a gangræna eas tuetur, vel natam coercet. Adverſus gangrænam hoc quoque eſt fortiſſimum medicamentum.

℞. Sipiritus Vin. camph. ℥ß.
Tinctur. mirr. ℥j.
Rhob. Junip. ℥ß.
Aq. ſtillat. abſynt. ℥iv.
Sal. gemm. ʒj.
Oxymell. ſcillit. ℥iß.
m.

Huc pertinent etiam infuſiones, decoctioneſque plantarum amararum, aromaticarumque, factæ in aqua calcis, vel in lixivio: e. gr.

℞. Radic. Genti.
Ariſtol. rot. aa ℥ß.
Fol. cent. min.
Aquileg.
Satureg.
Abſynt. Pont. aa m. ſ.
Aq. calcis, vel Ferrar. vel lixiv. ℔iij.
m. coq. ad conſumpt. tertiæ partis colat.
add. mell. opt. ℥iij.

Sin autem ulcera profunda, & ſordida fiant, præter hujuſmodi remedia convenit etiam unguentum Aegyptiacum in ſpiritu vini ſolutum, lapis medicamentoſus Crolii, & ſimilia, quæ multa in hanc rem habentur. Nam ego ſatis multa fortaſſe, etiam nimia expoſui medicamenta. Sed in his, quæ exterius adhibentur, prolixiorem eſſe nihil nocet, dum parciſimus in iis medicamentis, quæ interna vocantur.

Inter periculoſa autem ſcorbuti ſymptomata, ſpirandi eſt difficultas, eaque aut idiopathica, aut ſympathica, aut mixta, quæ ſpaſmodica eſt, fere ſoboles eſſe calidi ſcorbuti deprehenditur, illiuſque jam inveterati, quæ ad minimum animi, vel corporis motum oritur, & fere etiam per ſe nullo ordine occupat. Huic auctores mederi docent per opiata, utpote quæ ſpirituum orgaſmum, & nervorum criſpaturas ſedare dicunt: ideoque pilulæ de Cynogloſſa, vel de ſtyrace Sylvii ad ℈ß. vel etiam tinctura laudani opiati tantopere a Villiſio commendata, ad gut. xx. cum aqua aliqua anti-ſcorbutica prodeſſe poterit. Quamquam ut verum fatear, non magnum ex iis remediis juvamen ægros accipere obſervaverim, & verax invenerim Nenteri, ac Junkeri monitum, per ea medicamenta ægros debiles, ſomnolentos,

tos, vertiginoſos evadere. Potius ea, quæ leniſſima ſunt, & anti-ſpaſmodicis juncta, proficua reperiuntur, cujuſmodi eſt

℞. Semi. papav. alb. ʒiij.
melon. mund. ℥ß.
Aq. Naſturt. aquat. ℥viij.
m. f. em. S. A.
colat. add.
Tinctur. caſtor. ʒß.
Succin. alb. pulv.
Nitr. purif.
Coral. rubr. pp. aa gr. xv.
m. pro una vic. & ſic pro ſing.

Proſunt inſuper largæ decoctiones, cum floribus papaveris erratici, & violarum, cumque naſturtio aquatico, eæque calidæ ſumptæ. Si vero ſpaſmus ab imo ventre ad pulmones propagatus, hujus ſyptomatis cauſa ſit, tunc optimi ſunt oleoſi clyſteres, ipſumque oleum, ex amygdalis dulcibus expreſſum recenter potatum: tum liquor anodynus mineralis Hofmanni, electuarium diaſcordeum Fracaſtorii. Hæc ſunt in calido ſcorbuto remedia: at in frigido ſpirituoſa potius, & volatilia conveniunt, educta e cornu cervi, ſale ammoniaco, ſuccino, ſimul cum aliqua decoctione cochleariæ, iſatidis, raphani ruſticani, velut hoc

℞. Decoct. cochlear.
Beccab. ℥vj.
colat. add.
Spirit. fulig.
Sal. ammon. aa gut. xv.

Quod ſi neque in hac, neque in illa ſcorbuti ſpecie, propoſita remedia proficua ſunt, & magna eſt ſpirandi difficultas, ad modicam ſanguinis miſſionem

nem veniendum eſt, quam interdum iterari cogit nimia hujus ſymptomatis vis. Si vero ſpirandi difficultas oritur ab infarctu viſcerum imi ventris, & pigriori humorum per ea, & maxime per venam portam progreſſu, inciſiva, & clyſteres, ſolida ſtimulantes, indicantur.

℞. Specier. emoll. & carmi.
Fol. cochlear. aa mſ.
m. coq. in aq. font. q. ſ.
colat. ſit lib. j.
add.
Elect. lenit. ℥j.
Oxymel. ſcillit. ℥iß.
m. pro clyſt.

℞. Radic. Bardan.
Enul. camp.
Ruſc.
Aſparag. aa ℥j.
Fol. lingu. cerv.
Chelid. mai.
Naſt. aquat. aa mſ.
Paſſul. mund. ℥. ij.
Agar. Troch. ℥. ſ.
Aq. font. ℔. iij.
m. & f. decoct. S. A. ad conſumpt. tertiæ partis colat. add.
Vin. alb. generoſ. ℥. iv.
Fol. Cochlear. m. ſ.
f. infuſ. vaſ. clauſ. per horas 3. iterum coletur doſis ad ℥. v. bis, vel ter quotidie ſumenda.

His ſi malum non cedat, hirudines ano admovendæ ſunt, quæ multum ſolent proficere. Reſpirandi difficultatis, & syncopis cauſa, interdum a cerebello

lo procedit: quia cerebelli minutiſſimæ arteriolæ, in totidem tubulos nerveos deſinentes, ob acrimoniam humorum contrahuntur, & ulteriorem impediunt ſpirituum ſeparationem, atque propulſionem, vel irregularem potius eorum motum efficiunt, & pro varietate impulſus, aut paralyſim, aut ſpaſmum muſculorum. Alia cauſa eſt a cerebello, ubi craſſus ſanguis, & in ſuo motu tardus cerebelli arterias infarcit. Hujus cauſæ ſignum eſt obtuſus capitis dolor, cum ſomnolentia, & torpore, ſpiritus difficultati junctus, illius dolor nuccæ, totiuſque capitis acutus, & lancinans, cum eadem ſpirandi difficultate. Ad ſpaſmum ſolvendum, qui ut plurimum calidi ſcorbuti effectus eſt, cephalica anti-ſpaſmodica temperata requiruntur.

℞. Pulv. anti-epilept. march. ℈ij.
Nitr. purif. ℈. j.
m. & ſum. cum ſequent. decoct.
℞. Decoct. in aq. font. Flor. Til.
Beccab.
Naſt. aq. ℥vj.
pro una vice, & ſic deinceps

Sin autem a ſanguine craſſo foveatur morbus, cephalica validiora, clyſteres ad incitandam fluidorum directionem verſus inferiora, itemque pediluvia adhibeantur, interdum etiam venæ ſectio. Cephalica hujuſmodi erunt.

℞. Pulv. aur. Annovv. gr. x.
Succin. alb. pulv. ℈. j.
m. & ſum cum ſeq. decoct.
℞. Decoct. Coclear.
Beccab. ℥. vj.
Colat. add.
Spir. cochlear. gut. xv.

Hæc

Hæc auxilia conveniunt etiam adverſus lypothymias, & ſiyncopes, ſi harum cauſa ſit ex cerebello, vel proxime a ſpirandi difficultate. At ſi ex irritamento nervorum ventriculi, & totius imi ventris oriuntur, alia remedia uſurpanda ſunt, quæ acrimoniam lædentem temperent, leniterque nervis oſcillationem reſtituant. Ideo in ſcorbuto alcalino, & rancido, & in muriatico calidorum corporum ſuccus arantiorum, citreorum, limonum, acetoſæ ad ℥.j. celeriter lypothymias depellit; quas calidis, & ſpirituoſis cardiacis graviores fieri Practici obſervaverunt. Poſſunt igitur adhiberi aquæ ſubacidæ etiam in copia ad diluendum. In acido autem ſcorbuto, & in muriatico, qui frigida corpora occupavit, ſuccus cochleariæ, vel raphani ruſticani, aut etiam aqua naſturtii aquatici, cum aliquot guttis ſpiritus naſturtii ſylveſtris, cum confectione Alkermes, ſimilibuſque, perbelle prædictis ſymptomaticis malis medentur. Dolor autem pectoris preſſorius, qui ipſe quoque ex diſtractione nervorum, qui ad muſculos veniunt, pectoris dilatationi inſervientes, oritur, multaque ſecum portat incommoda, & calido ſcorbuto familiaris eſt: ſi erraticus eſt, anti-ſpaſmodicis tollitur: ſi periodum habet, quam interdum exacte ſervat, ita ut tertio, quarto, quinto, vel ſexto quoque die recurrat, interdum anti-ſpaſmodicis iiſdem non auſcultat, ſed univerſalibus tantum tunc locus reſtat remediis. Si nimis tamen acer invadit, nullum melius remedium inveni, quam venæ ſectionem, vel ſalvatellæ, vel ſaphęnæ pro varietate circumſtantiarum. Expoſui primo libro, quam atroces dolores in imo ventre ſcorbuticorum oriantur, & quam varia ſit eorum ſedes. Qui fiunt in muſcu-

ſculis, & peritonæo, mitigantur fotu calido, parato ex floribus ſambucci, verbaſci, meliloti, in lacte decoctis, vel ſuilla veſſica, eodem medicamento ſemiplena, ſuper ventrem poſita. Adhiberi poſſunt etiam clyſteres carminativi. Tum interne dandum opiatum aliquod medicamentum, ſi poſtulari videtur. At dolores illos, qui in inteſtinis ſedent, & colici vocantur, mitigant, & tollunt oleoſa per os, & per alvum ingeſta, & calida externa fomenta parata ex plantis, quas acrimoniæ ſpecies requirit. VVilliſius cathartica magnopere commendat, opiatis nupta, quæ proficua inveniuntur, ubi dolores oriuntur ex humorum in primis viis ſtabulantium vitio. Ita aptæ ſunt pilul. Beccari. ad ℈. i. cum laud. opiat. gr. j. mixtæ, quæ iterum quoque propinari poterunt. In acido ſcorbuto abſorbentia terrea conveniunt, ſimul cum appropriatis decoctionibus ſumpta. In muriatico, & alcalino, emulſiones, ex albi papaveris ſeminibus paratæ cum nitro, intenſo autem dolore, anodyna, & confortantia præſto ſint, ut theriaca, diaſcordium, vel ſequens mixtura.

℞. Aq. menth. ℥iij.
Naſt. aquat. ℥iß.
Tinct. caſtor. ℈ij.
Laud liquid. ſyd. gut. xxv.
m. & ſumat cochlear.

Aliá quoque ſunt in imo ventre ſymptomata, ſcorbuticis præcipue moleſta, ut diarrhæa, dyſenteria, & teneſmus. Diarrheæ curatio fricando cutem, ut ejus vaſcula reſerentur, corroborando ventricu-

triculum atque inteſtina, & humorum acrimoniam demulcendo peragitur. VVilliſius teſtatur, nullum validius remedium dari aquis acidulis vitriolico-martialibus. His deficientibus, ſubſtituere poſſumus concretos anti-ſcorbuticos ſuccos, cum croco martis commixtos. Sed aliæ ſunt aquæ medicatæ valde proficuæ, ut Tetucianæ. Hæ etiam in dyſenteria utiles inveniuntur, in qua etiam clyſteres ſæpius injecti proſunt, & ubi gravior inteſtinorum exulceratio eſt, ſequentes pilulæ a VVilliſio laudantur.

℞. Rhab. elect. pulv. ℥i.
Santal rubr. pul. ʒij.
Cinam. Pulv. ʒj.
Croc. mart. ʒiij.
Balſ. Lucat. q. ſ.
m. f. maſſ. pilul.

Ex hac maſſa drachmam unam æger ſumat quotidie, vel alternis diebus, ſuperbibendo aliquid vini, in quo radix lapathi acuti, & folia beccabungæ fuerint infuſa. Quod ſi diarrhœa, atque dyſenteria a diſcraſia rancido-oleoſa, vel alcalino-fœtente dependeat, acida vegetabilia auſtera, ipſaque foſſilia non omittantur. In teneſmo clyſteres emollientes, lenienteſque, ex lacte, & butyro parati, ſuppoſitoria ex ſævo hircino, vel eodem butyro facta, uſurpanda ſunt, ſæpiuſque repetenda. At dolores cum ſpaſmis, & convulſivis motibus, aut cum torpore, ipſi quoque ſæpe moleſti fiunt. Quamobrem adverſus convulſiones, & ſpaſmos quidem cephalica, & anti-ſpaſmodica plus minuſve æſtuoſa, pro acrimoniæ vi, & qualitate adhibebimus, ut

℞. Pulv. anti-epilept. march.
Succin. alb. Pulv. aa ʒi.
Cortic. Peruv. pulv.
Specif. cephal. aur. Anovv. aa ℈ j.
Syrup d. Beton. q. ſ.
m. f. pil. xii. ſumen. tres mane, & totid. veſp. ſuperbib.
Decoct. fol. naſt. aquat.
Beccab.
Cochlear.
Flor. Til.
Lil. conval. ℥ vj.

Pilulis autem modo deſcriptis ſal volat. ſuccin. aut aliud ejuſmodi adjungi poteſt, necnon licet uſurpare, ſi res exigit, ſpirit. oleos. ſylv. liquor. c. c. ſuccin. His caſtoreum, aliaque anodyna miſcebuntur, ut & ipſum opium, quod tunc maxime faciendum eſt, cum dolores ſimul cum ſpaſmo vexant. Cum autem ſecundum Lanciſii obſervationem cauſa irritans, & dolorem, ac ſpaſmum inducens, in nervorum gangliis ſedeat, juvabit ejuſdem exemplo, aut laxantia, aut diſcutientia externa in eorum gangliorum regione applicare, ex quibus nervi affecti procedunt. Idque etiam in torpore membrorum faciendum erit: quemadmodum Lanciſius paralyſi crurum juvenem fæminam laborantem, cui nihil juverant multa adhibita medicamenta, ſanavit Duccia ſupra eam iliorum regionem, in qua ſita ſunt duo ganglia nervi intercoſtalis ad uteri latera. Neque ſilentio prætereunda eſt ſumma virtus abietis in ſcorbuticorum

rum ſpaſmo, paralyſi, dolore, contractura, & rigiditate membrorum tollenda: quod apparuit, cum VVadislaus IV. Poloniæ Rex bellum gereret contra Moſcos. Epidemicus enim morbus ejus caſtra invaſit, quo milites correpti, incedere propter pedum, & crurum contracturam, minime valebant: quos Erbenius medicus, decocto ex ſummitatibus pini, mirifice ſanavit, exindeque pini, piceæ, & abietis facultatem magni facere cœperunt. Quidam lignum ſaſſafras, & juniperinum, & cinnæ radicem jungunt, & omnia ſimul in aqua, vel cerevisia coquere conſueverunt. Ego ſolius abietis, ſine alius miſcella, vim egregiam cognovi, a Crugnero, Simone Pauli, magnopereque a Mollenbroccio decantatam. Ejus decoctum non modo proficuum eſt interne ſumptum, verum etiam ſi partes male affectæ eodem externe foventur. Dravvithius, in ſuo tractatu de ſcorbuto, celebrat deſtillatum ex galbano cum ſpiritu veneris: quod utile erit, ubi partes affectæ ſine calore, atque æſtu ſunt. Ertodus autem, in ſua cronologia, balſamicam quandam tincturam commendat, cujus deſcriptionem ſubjiciam.

℞. *Spirit.* ſumbric. terreſt. ℥vi.
Sal. armon. ℥ß.
Cochlear. ʒij.
Sapon. Venet. ℥ij.
Camph. ʒvj.
Opii
Croc. aa ℈j.
m. f. digeſt. per aliquot dies, & filtr.

Foreſtus præterea ſal torrefactum, milium, furfures, & cammomillæ flores in ſacculo concluſos, & calentes applicatos laudat. At Mollenbroccius cataplaſmate facto ex beccabunga, cochlearia, malva, & naſturtio a-

quatico ſcorbuticos dolores compeſcere ſolebat. In quem finem hyoſciami quoque folia lacti incocta adhiberi poterunt. Balnea, & ſemicupia ex aqua, in qua emollientes ſpecies coctæ, fuerint parata, utiliſſima cenſenda ſunt. Torpores autem & paralyſes vagæ conſimilibus fere remediis perſanantur, ſimulque frictionibus diu continuatis, interniſque nervinis, & corroborantibus.

CAPUT VIII.

De ſcorbuti curatione cum Lue Venerea conjuncti.

Videri poſſum ſcorbuti generalem, & particularem curam omni ex parte tradidiſſe, ſed unus reſtat caſus adhuc, qui peculiarem conſiderationem meretur, cum cæterorum explicationem ex traditis hucuſque liceat eruere. Is caſus eſt, cum ſcorbutus eos adoritur, qui lue venerea infecti ſunt, quia hæc lues vix ſine ope mercurii debellari poteſt, num autem idem medicamentum conveniens in ſcorbuto ſit, necne, definire difficile eſt. Verum equidem eſt, apud VVilliſium legi, in ejus tractatu de ſcorbuto, mulierem, ope mercurii, a ſcorbuto, liberatam, aliumq; caſum apud Mangetum ex fide Burgii, & alium apud Roncalium in medicina Europæ ab Acoluctio Uratislavvienſi deſcriptum, in quibus caſibus vim hujus remedii utilem deprehenderunt. Quinimo magnus Boerahavius, cum ſcorbutus adeo invaluit, ut miſerabilia illa ſymptomata, quæ ipſe in quarta ſpecie deſcripſerat, jam attulerit; interdum proficua mercurialia, eſſe aſſeruit: itemque Lindeſtolpius in libro de venenis, hoc remedii genus commendavit. At e contra multi ſunt magni nominis medici, qui diverſam fovent ſententiam: ex his duos proponam hujus ſæculi celebres Viros, reliquis omiſſis, ne longior ſim. Alter eorum Hofmann. eſt, alter Svvieten. Hofman. igitur ſic: *Mercurialis proſapiæ medicamenta, utcumque præparata, & adhibita in ſcorbuto tantum non ſemper eſſe maximo nocumento: lon-*

ge vero certius, graviuſque nocere in vitiis dentium, & linguæ ſcorbuticis. Hac auctoritate ſe tuetur Svvietenius adverſus Præceptoris ſui Boerhaavii auctoritatem, cujus ſententiam quodammodo tentat probabiliorem efficere. Sed ſatis apparet eos toto cælo diſſidere. Nam Svvietenius mercurii uſum non tamquam laudabilem, ſed tamquam tolerabilem memorat, ubi lentor viſcoſus, initio morbi, prædominatur, nec magna adhuc acrimonia adeſt: improbat autem, *ubi jam oris fœtor incipit, gingivæ tument, dolent, calent*: contra Boerahavius in quarta tantum ſpecie eum proponit, in qua multo pejora adſunt ſymptomata. Noſtra autem quæſtio non eſt, utrum ſcorbuti ſanatio tentanda ſit per mercurium, cui quæſtioni fere negative reſponderemus, opinantes blandioribus, tutioribuſque curam eſſe perficiendam. Sed hæc quæſtio eſt, ſi lues venerea cum ſcorbuto conjuncta ſit, num liceat mercurio uti ad luis ſanationem, & quo præcipue modo eo medicamento utendum ſit. Primum igitur attendendum quo gradu ſit ſcorbutus, quo lues. Nam ſi lues non eo uſque invaluit, ut promptum remedium poſtulet, tutius erit acrimoniam ſcorbuticam prius demulcere, & poſtea ad mercurii uſum deſcendere. Neque aliter faciendum eſt, ſi mitior adhuc eſt ſcorbuti gradus: fere enim non longo tempore tunc ſcorbutus ſuperari poteſt, deinde tuto ad luis curationem per mercurium tranſitur. Quod ſi aut ſcorbutus lui ſupervenerit, aut ſi lues ſcorbuto jam infectum occupaverit, eaque graviter eundem afficiat, non video quid reſtet, niſi ut ad mercurium confugiatur. Nam ſi ſcorbutus lui ſupervenerit, luem tamquam ſcorbuti concauſam

ſam eſſe judicare licebit, neque certe effectus tolletur, niſi cauſis omnibus ablatis: ſi vero ſcorbutus non quidem luem veneream inter ſui cauſas habeat, ſed ei, & quidem gravi, ſociatus ſit: primum ab eadem ipſe foveri poteſt: deinde cum gravis ipſa lues ſupponatur, non ſatis temporis concedit ad ſcorbutum vincendum, antequam ſui ipſius curatio inſtituatur, cum intra hoc tempus latius diffundi ipſa poſſit, & graviora damna afferre. Quare melius erit luis curationem mercurii ope tentare, & hoc remedium quamprimum, præparato prius corpore, uſurpare. Cum autem balnea, & lactis uſus, niſi hunc aliquid prohibeat, poſita ſint inter præcipua ſcorbuti remedia, perque hæc eadem corpus præparetur ad Hydrargiroſim ſecundum, eum methodum, quam poſtremis his annis Moſpilienſis Schola maxime excoluit: cæteris igitur præſtantior hæc methodus cenſenda eſt, ubi mercurius adhibendus eſt in ſcorbuticis. Sed eadem methodus exhibet etiam modum cavendi incommoda, quæ a tali remedio ſcorbuticis accidere poſſunt. Conſtat enim per frequentes obſervationes, ut monuit etiam Clariſſimus Svvietenius: *levem etiam argenti vivi quantitatem ingentes turbas excitare in ſcorbuticis corporibus, ſi a lue per hanc methodum curari debeant.* Quibus obſervationibus edoctus celeberrimus Aſtruch hoc, poſuit præceptum: ubi lues venerea curanda eſt per Hydrargiroſim, ſcorbuticam acrimoniam prius eſſe propriis remediis mitigandam, deinde ad parcum, cautumque mercurii uſum veniendum ſic, ut pernicioſi tumultus evitentur, & ſalivæ fluxus ſi protinus erumpat, & nocere putetur, protinus etiam poſſit cohiberi. Quod non melius, quam per laudatam

datam methodum, præſtari poteſt. Primum balnea, & lac aſſumptum, ſolent eſſe tamquam corpus præparantia: deinde mercurii parcam admodum doſim exigunt unctiones, & quod caput eſt, omnis in eo cura hujus methodi conſiſtit, ut non ſuccedat ſalivæ fluxus, aut ſi ſuccedit, tollatur, aut leniſſimus certe ſuſtineatur. Cum huc igitur ſpectet intentio, ubi in ſcorbuticis mercurius adhibetur, in quibus facile magnas turbas movet, oſque in primis eorum jam male affectum adoritur, nihil aliud requiritur, niſi ut prudentia medici doſim moderando, & unctionum frequentiam, effectuum quoque vim ad id, quod opus eſt, moderetur. Et hac quidem methodo, ſi ulla umquam, præcaveri poſſunt damna, quæ inferre interdum poteſt mercurius corporibus ſcorbuto infectis, maximeque eæ, quæ valde timeri ſolent, graves oris exulcerationes, & gangrænæ. Nam noxas illas, quæ dicuntur oriri a mercurio, tamquam venefico medicamento, veras non eſſe, omniumque vanum eſſe timorem, id oſtendere proprie ad nos non pertinet: ſed hujuſmodi accuſationes communiter ſpectant ad qualemcumque mercurii uſum. Supponimus igitur nugas iſtiuſmodi jamdudum exploſas, evictumque ſatis tutum eſſe mercurii uſum, præcipuumque venereæ luis remedium. Quo poſito, ea reſtabat quæſtio, utrum idem remedium conveniret, tunc quoque, cum lui ſcorbutus ſociatus eſt, eamque curari neceſſe eſſet propter ejus vim, aut metum majorum damnorum: neque dubitavimus affirmare, illud opportunum eſſe, cum iis cautelis adhibitum. Quod ſi quis eſt, qui dicat, alia eſſe remedia, quibus lues curari poſſit, nec tam infenſa ſint ſcorbuticis, quam mercurius

eſſe creditur: quale eſt decoctum guajaci, is duo hæc nobis probare debebit. Primum, decoctum Guajaci magis ſcorbuticis convenire, quam mercurium, idque ſemper verum eſſe. Ut enim aliquis caſus eſſe poteſt, in quo decoctum hoc aptum ſit, nocens mercurius: ſic e contra aliquis erit, cui minus cura per decoctum conveniat, tutiorque ea ſit, quæ fit per mercurium. Alterum, quod is docere debebit, illud erit, luem, cum multum invaluit, decocto guajaci æque tuto, & vere curari, ac per mercurium. Quod video ab expertiſſimis medicis negari. Non enim hic ſermo eſt de illo leviori luis gradu, cui per decoctum guajaci interdum mederi poſſe, non uſque quaque negandum eſt. Quærebatur quid faciendum ſit in ſcorbuticis, in quibus lues adeo ſeſe diffudiſſet, ut multa, graviaque ſymptomata intuliſſet, differrique cura ſine damno, omnino non poſſet. In his caſibus curam non eſſe committendam, niſi certioribus medicamentis, quiſque fatebitur. Certiorem autem mercurium eſſe, præ guajaci decocto, Practici peritiores ſtatuerunt. Quare id remedii genus, ut certius eſt, ſic videtur ad eum modum, quem propoſui, & cum debitis cautelis, in ſcorbuticis quoque, ubi luis curatio inſtituenda eſt, adhiberi poſſe.

ELEN-

ELENCHUS
Librorum, & Capitum.
QUÆ IN HOC VOLUMINE continentur.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

E Numeratio Symptomatum ſcorbuti. 13

CAP. II.

De ſcorbuti diagnoſi generali. 23

CAP. III.

De ſcorbuti differentiis. 36

CAP. IV.

De ſcorbuti Prognoſi. 43

CAP. V.

De ſcorbuti cauſis in genere. 48

CAP. VI.

De aere ſcorbuti cauſa. 51

CAP. VII.

De cibo ſcorbuti cauſa. 57

CAP. VIII.

De potione ſcorbuti cauſa. 69

CAP. IX.

De quiete, & otio ſcorbuti cauſa. 73.

CAP. X.

De animi patematibus ſcorbuti cauſa. 76

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De ſcorbuti eſſentia in genere. 79.

CAP. II.

De natura acrimoniæ ſcorbuticæ ſalino-muriaticæ. 88

CAP. III.

De acidi ſcorbuti acrimonia. 94

CAP. IV.

De rancido-oleoſa ſcorbuti acrimonia. 101

CAP. V.

De alcalino-fœtenti ſcorbuti acrimonia. 105

CAP. VI.

De ſcorbuti ſymptomatum explicatione. 127

CAP. VII.

De ſcorbuti ſede. 137

CAP. VIII.

De ſcorbuti origine. 144

CAP. IX.

De tempore, quo morbus magni lienis Hippocratis ſcorbutus nominari cœpit. 161

CAP. X.

Demonſtratur ſcorbutum etiam in Italiæ infenſum eſſe. 170

CAP. XI.

De morbis, qui ad ſcorbutum diponunt. 181

CAP. XII.

De ſcorbuto hæreditario, necnon de ejus contagione. 185

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De ſcorbuti Therapeutice generali. 189

CAP. II.

Sequuntur aliæ cautelæ practicæ generales. 193

CAP. III.

De curatione ſalino-muriaticæ acrimoniæ. 199

CAP. IV.

De curatione acrimoniæ acido-auſteræ. 205

CA-

CAP. V.

De curatione ſcorbuti rancido-oleoſi. 217

CAP. VI.

De curatione ſcorbuti Alcalino fœtentis. 221

CAP. VII.

De curatione gingivarum, & dentium affectionum. 238

CAP. VIII.

De ſcorbuti curatione cum Lue Venerea conjuncti. 255

FINIS.

Pag.	lin.	*Errata*	*Corrige.*
Pag. 10	lin. 4	obſolveram	abſolveram
ibid.	21	Beravvianorum	Boerhavianorum
11	6	eo	ea
ibid.	5	per opportunum	peropportunum
ibid.	29	Conſilium	auxilium
ibid.	32	anniſus	anniſus ſum
14	4	morbus & ſpirandi difficultas	morbus ſædat luteo &c. accedit ſpirandi difficultas &c.
15	11	Sphacello	Sphacelo
16	26	in aliis	in alis
17	5	Semper	ſuper hæc;
22	16	Artritis	Arthritis
ibid.	17	*αϛοκοπος*	*οϛοκοπος*
26	8	Quaſi.	: quaſi
ibid.	21	Monſpilienſis.	Monſpelienſis
28	23	Quam	quem.
39	31	nimis	nimiis
41	10	cauſæ.	cauſæ
42	6	illos,	illos
45	13	cumque.	tumque
ibid.	ib.	ferre	fere
ibid.	32	imbecileſque	imbecilleſque
46	9	induant	indicant.
47	25	eo	id.
48	1	omibus	omnibus
50	7	ſuſcipiant	ſuſcipiant ei
ibid.	ib.	utantur.	utuntur
52	17	ædifitiis	ædificiis
55	1	Paupartius	Poupartius
ibid.	13	ideo	id eo
57	23	in ſicciorumque	in ſiciorumque
58	2	libralius.	liberalius
59	7	Svvietenus	Svvietenius
60	31	alicurant	ali curant.
62	8	ſibi	cibi.
ibid.	22	potus eadem.	potu
ibid.	23	ab ead.	ob
63	26	cavere	carere
66	28	ſuſtineant	ſuſtinant. De
67	2	, hujus	. Hujus.
69	21	præſervatione	præſervationem.
70	31	Coffei	Coffee
72	5	affirmat	affirment
ibid.	ib.	Bachſtronium	Bachſtromium
73	13	morbum	morborum
ibid.	18	peſcribit	perſcripſit
ibid.	25	a uſus	auſus.
74	3	alia ſcorbuto mala	alia mala
75	16	qua	quo:
Pag. 76	lin. 3	cauſam	cauſas
77	11	ſit	ſit.
ibid.	21	expirante	ſpirante
80	9	valetudis.	valetudinis
83	14	levorem.	lævorem.
ibid.	27	ſit, manifeſte	ſit manifeſta
84	1	leves	læves
ibid.	16	leves	læves
ibid.	23	leves	læves
86	15	in creſcente	increſente
87	9	poſſet	poſſe?
88	19	invicem.	in vicem
89	5	aſtionem	actionem
ibid.	20	obſervante, &	Obſervante. Et.
90	17	actionis	actioni
92	12	præcipuæ	præcipue
96	30	exderendi	Exurendi
96	32	Tam.	Tum.
98	16	quidem.	quidam
100	11	multum	multo
102	1	vulgate	vulgare
103	5	eodem	eædem
ibid.	24	oleſa	oleoſa
104	20	admittunt	admittunt,
ibid.	33	&c.	eſſe
106	20	denique pomorum	pomorum, denique
109	26	coactione	actione
112	1	Pharmacopolis	Pharmacopoliis
ibid.	10	verum	. Verum
124	27	putrediniſca uſis	putredinis cauſa
125	23	&c.	eæ
129	33	utlimis	ultimis
133	1	ex	ex qua
ibid.	3	qua quæ	quæ
139	11	hæc	. Hæc
ibid.	14	aſſignarent	aſſignare
ibid.	25	anathome.	anatome
141	13	ſolitæ	inſolitæ
143	6	abſolevit.	obſolevit.
144	16	Num	Nam
145	18	argumentum	argumentorum
168	31	ex	&
171	18	Paupartius	Poupertius
199	31	ovi,	ovi
208	5	Tint.	Tinct.
210	22	int.	inf.
228	16	*affectionibus.*	*affectionum.*
242	23	Latæ	Lachæ
257	15	, eum	eam

B